



Misc. 6^o Q.

Kat. Misc. I, 63.



18.
18.

DE
PRAESTANTIA
RELIGIONIS REVELATAE
PRAE NATVRALI

PRAESIDE
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,
DOCTISSIMO
SIGISMVND. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.
FAVTORE ET PRAECEPTORE PIE COLENDO
IN ACAD. FRIDERICIANA
D. XVII. MAL. ANNO CLO IDCCXXXIII.

H. L. Q. • C.
PVBLICE DISSERET
AVCTOR
M. CHRISTOPH. IOSEPH. SVCRO
REGIOMONT. NEOMARCHICVS



HALAE MAGDEB. LITTERIS IOH. CHRIST. GRVNERT.
Recusa 1753. (6)

TRAVELER'S
RELIGION'S
TRAE NATURAL

BY
JACOB BAVENHARTEN

IN THE
LAVORETT

M. CHRISTOPH JOSEPH SVCD



HALL



S. T.

CRISTOPHORO, SVCRONI.

SEREN. BORVSS. REGI. A. CONSILII. SACRIS.
PER. DVCATVM. MAGDEBVRGICVM. PRIMAE.
EIVSDEM. DVCATVS. DIOECESEOS. INSPECTORI,
TEMPLI. CATHEDRALIS. QVOD. MAGDEBVRGI. EST,
PASTORI. PRIMARIO. GYMNASII. MAVRI-
TIANI. EPHORO.

PARENTI. OPTIMO. DILECTISSIMO.

SACRVM.



E. T.

CRISTOPHERO SVENONI.

STEN FORSS REGI A CONSILII SACRI

PER DUCIAM MAGDERVICAM PRIMAE

IN REGIAE MAGDERVICAE INSPECTORIS

OFFICII CATHEDRAE QUA MAGDERVICAE EST

PASTORIS PRAESIDIUM GYMNASII MAJORE

JOHANNES SVENONI

PARENTI OPTIMO DILECTISSIMO

SACRVM





*pietas & amor! bene natae gaudia
mentis,*

Et dulci propior sanguine, casta fides!

Si qua meae veniunt irritamenta camoenae,

Vestra animum quoties dulcis imago subit;

Carminibus blandi nunc reddite temporis artes,

Quod quondam ad patrii lufimus Albis aquas.

Et veteris dudum fere nescia plectra laboris

In solitos quondam concita ferte modos!

*Ne mea iam desint, ne publica pignora desint
Officii, aeternum quod pia corda tenet:
O tota semper genitor mihi mente colende!
Ne meritis constet gratia nulla tuis.
Sic etenim longos tot sollers cura per annos,
Hoc quodcunque iubet, numeris esse suum.
At leue quod munus! leue sit, voluisse ferenti
Proderit, & pretium cognitus addet amor.
Inumeris quis enim benefactis digna rependit
Praemia, quis patria praemia digna fide?
Scilicet haec vitae dulcis quae carpitur aura,
Summum quod numeres, non ea munus erit.
Inegni quantum superat pigra corpora virtus,
Fertur & humanae, vita subesse ferae,
Tantum quod menti tribuit pia cura colendae,
Et vita & quouis munere maius erit.*

Feli-

Felices curas! & quouis gratius aeuum!

Aeui florentis dulcis imago mei!

Quo virides, patriis monitis securior, annos

Fallebam, & placidis condita lustra libris.

Visere seu veterum ferret monumenta voluptas

Seu ferret, tenera voluere plectra manu;

Nec Graiae deerat nec Thuscae copia musae,

Ingenium nec qui fingeret ipsi parens,

Exemplum nec qui praeberet, si qua docendo

Traderet ipse, quibus vita beata venit.

Abstulit optatos, rapidi fuga temporis, annos,

At dulces fructus tollere nescit idem.

Sed superant animo data. Saecula dumque perenni

Usque fluunt menti, tempus in omne vigent.

Cumque fide pietas, & amabilis arte voluptas,

Et virtus tristes spernit adiere vices.

O ve-

O Venerande Parens! sic immortalis amoris
Et longam placeant pignora fassa fidem.
Sic procul extentae vigeant Tibi lustra Senectae,
Adsit & omnigeni laeta corona boni!
Sic Pater! absentem dulci digneris amore,
Sic, quam iam dictum est, accipe mente Vale.



Q. D. B. V.



Q. D. B. V.

SI, quod nemo dubitat, nisi naturae suae, qua homo est, parum gnarus, aut abjectius quam par est de ea sentiens, excellentiae quidquid dignitatisue in mortale genus cadit, ab animi nostri indole, sagacis, intelligentis, ad verum bonumque proclivis, & denique immortalis, potissimum trahit momentum; excelsius certe quidquam magisue diuinum in hac mente inesse haudprehendimus, quam quod auctorem generis sui, & vniuersi huius cognitione quadam amplecti, inclinatione felicissima in illum ferri, ad fontemque sic ac originem rerum communem, quasi redire quodammodo, ipsi conceditur. Sicuti enim nulla facile animi dos aut virtus hominibus data est, ad cuius similitudinem & fere exemplar non in brutorum quoque mente sequiori, vis aliqua aut facultas videatur efficta; quorum multa scilicet sensuum acie nos antecellere, multa praeteritorum imagines concipere, recordari, quod in rebus idem est ac diuersum perspicere, futura anticipare, appetere denique & affectuum stimulis concitari cernimus: ita a pietatis religionisque in supremum numen conscientia, longissime omnes haec naturas seiungi, hominibusque in ea re certe concedere nouimus, quos coelum contueri facies erecta iubet, ad eiusdemque opificis cognitionem, insitus quidam animo instinctus compellit. At enim vero, quantum ab hac cogitatione conditioni nostrae videtur accedere, tantum ipsi funestissimo illo ac vero letali conspectu detrahitur, quo, duce eadem, qua bestias praestare debeant, religione, miserissimos mortales brutorum abiectissimis subiici, res vilissimas atrocissimo errore consecrare, iamque thure tandem ac diuino honore eadem prosequi deprehendimus. Nec tantum superstitio sola po-

A

cuit

tuit suadere malorum: ab ipso vero bonoque errandi gnauiter peccandique occasio ducitur. Fuere dudum, nec adhuc defunt, qui, si veri aliquantulum a natura acceptum, ad cognitionem optimi numinis, eiusdemque cultum afferunt, abunde id ad felicitatem, quam quaerunt, omnigenam sufficere rati, opis omnis aliunde ipsis maxime necessariae securi, in errore adeo suo, viriumque perexiguarum imbecillitate misere acquiescunt. Quod, quanta cum iniuria in benignissimum numen, quantoque cum contemtu beneficiorum eius fieri nos pronuntiabimus, qui religionem humano generi diuinitus procuratam, inter nos existere, haud opinamur, sed scimus, eiusdemque parae mere naturali praestantiam, non rationum solum certissimarum auxilio colligimus, sed ipsa, quotiescunque id vere libuerit, experientia sentimus, animorumque indubia quadam conscientia exprimimus? Fuerunt haec fere, quae, cum publicum studiorum edendum esset documentum, animum ad hanc materiam primum alliciebant, qua frontem libelli iam inscriptimus. Accedebat & praceptoris, si a parente recessero, plurimum unice omnium colendi consilium, & parentis denique ipsius optimi, mortalium omnium unice dilectissimi autoritas non minus ac exemplum, quod praeciuit in praefatione germanica ad librum Gansangii cuiusdam pariter germanicum, de eo quod ex voluptate beatoris vitae, iam in ipso mortis articulo, piis quibusdam praecipere datum fuit. Quorum utinam vota & spem nimis forsane benigne conceptam, ita implere nobis licuisset, uti animi aeternum dulcissimo officio deuincti testificationem, hac in re potissimum dedisse feliciter, & iucundam nobis maxime, & e re nostra plurimum omnium fore colligimus. At eheu! quod & TIBI BENEVOLE LECTOR! quisquis opellam inspicere non grauaberis, dicere liceat, non bene adeo cum homine agi solet & iuvene, & quid valeant humeri quid ferre reculent primum tentante, & opus denique moliente rerum tum affluentia, tum grauitate exsuperans forsane quam quod maxime. Excusatus quare si peccauero saltem, voto cadam, ad partemque in primis specialioremi id ut pertineat oro, ubi cumulata plura in unumque coniecta sunt forsane, quam distincta satis, apteque disposita, id ferre nobismet ipsis videbetur oratio. Instituti, quod reliquum est, formulam hic non subüicio; percurreret enim ipsam tractationem in margine adscripta operis totius designatio.

TRACTATIONIS PARS GENERALIOR.

§. I.

VTi cognitionem in productione repræsentationum clararum, seu cum rebus similitudinum ponimus, quas animus sibi in-
format; sic quem facultate eximia seu habitu gaudere no-
vimus cognoscendi, cognitionem illi tribuimus subjective
Num. 1. Cognitione ob-
iectiue sumta
vel subje-
ctiue.

spectatam: ab eaque si materiam ad quam hæc facultas refertur,
seu cognitorum complexum, seiungimus, cognitionis is quidem
pariter venire solet nomine, sed eius, quam technice dicimus, ob-
iectiue sumta. Quæ cum prompta satis videntur, & vel sui tantum
sibi conscio expedita; haud maiori negotio colligi putemus, quid
cognitionis sit, quam dicimus actiones mortalium dirigere, causas
scilicet impulsivas continere ad actiones patrandas. Adiecta igitur
vel solius cultus diuini notione, quem actionibus absolui videmus a
naturis creatis in honorem Dei susceptis; colligamus iam notas ad-
huc traditas, & ex cognitione de DEO O. M. quæ cultum eius di-
rigit, religionis adest quam meditabamur definitio. Qua autem
nec vocabulum a potestate sua natua, nec hæc a natura rerum veri-
tateque seiungi, exemplis docent, religionum quotquot memoran-
tur vnquam animos hominum infedisse, a deorum cultoribus nu-
merum inire si coeperis, ad feliciores vsque mortales vnum adoran-
tes. Vbiue enim hic gentium. religione proprie ferri audio ne-
minem, nisi ad diuinæ aliquam maiestatis imaginem, quam non ste-
rili quadam ac otiosa cognitione ampelectitur; sed rerum quasi no-
tionumque indissolubili necessitudine ductus, cum veneratione qua-
dam mentis & adoratione copulat.

§. II.

Religionem si ut complexum consideramus de Deo cognito-
rum, ad quæ cultus eius componitur, erit illa obiectiue sumta. §. I.
n. 1. Eamque latissima acceptione, iisdem demum limitibus cir-
cumscribi patet, quibus continentur, quæcunque vnquam de DEO
cognita, spirituum finitorum vniuersitatem, ad colendam naturam
præstantissimam commouent. Cui tamen non nisi digito monstra-
tæ, augustissimi conspectus religioni obiectivæ, succedet termina-
tior multo, si ad complexum hominibus de Deo cognitorum, cul-
tamque diuinam inter illos dirigentium, oculos conuertimus, de-
pre-

Religio quid
sit

n. 1. Religio
obiectiue
sumta

- 3prehendentes sic religionem humanam obiectiue sumtam. Et haec quidem quæ tradit de Deo, si continuata rite inter se aliudque ex alio nexumprehenduntur; systema erit religio. Quodsi ex certis rite pendeant quæuis, scientia erit eadem. In religione scientia, omnia concinunt. Cuiuscunque religionis asserta de Deo cultuque eius secum inuicem pugnant, illa non est scientia. Qualis opprobrii exemplum in religionem philosophorum profanorum, feliciter a populari editum vid. in Ciceronis l. de nat. deor. sub initium statim, & ad num 1. §. Canziam de ciuitate dei & theol. dogm. de angelis.

§. III.

Num. 1.
Religio subiectiue sumta

Subiectiuam dicemus religionem quæ in habitu sita est Deum cognoscendi & colendi §. I. n. 1., pietatis insignem nomine vel si maui religiofitatis. Quæ hinc habitu absoluitur tam theoretico quam practico, dum ad facultates appetendi aequè pertinet ac cognoscendi eoque vel naturali seu ex sola animi natura deriuando, acquisito, seu ab exercitio qui pendet, vel minus, teste psychologia. Cumque habitus eo maior semper sit quo plures, maiores, ab illo pendere possunt, aut actu pendent actiones per ontol.; consequitur inde ut religio obiectiua, dum actionibus actualibus constat, iisque excitandis sufficit §. II. n. 1. referatur ad religionem subiectiue sumtam haecque in concreto spectata eo maior sit, quo maiorprehenditur illa. Ad distinctionem, quod reliquum est, ipsam, quam hic & praecedens §. exhibet, vid. Musæum in introd. in theol. C. I. §. 1. & 2. ad cuius de theologia doctrinam haec de religione poterit effingi.

§. III.

Num. 1.
Religio vera & falsa, apparetis, superstitio.

2.

3.

Cognitio de Deo, cum natura eius praestantissima si conuenit, vera est. Sin minus; falsa. Ad veram de Deo cognitionem, si cultus diuinus componitur, religio nascitur vera. Falsa qui regitur cognitione cultus, religionem dat falsam §. I. Deus est unicus, naturæ excellentissimæ, stabilis æternum, & mutari nesciæ per theol. nat. fieri quapropter nullo modo potest, vt religiones plures sententiarum discrepantium, quatenus discrepant, queant esse veræ. Religio quare vera vnica est & constans vere essentialis, & sola potest esse scientia §. II. n. 3. agnoscenda quoque ex cultu numini optimo eiusque perfectionibus conformi n. 1. Religio falsa,

falsa, dum naturae vnici Dei haud conuenit, cum nullius conuenit natura n. 1. ac proinde, quatenus falsa est, nulla est §. I. n. 3. Sique videatur esse religio; est apparens, nec systema, nec scientia §. II. n. 3. arguenda quoque a cultu, abhorrente a numinis natura & mente praestantissima n. 1. Religio falsa subiectiua audit superstitio §. III. Concinentem his s. scripturam vid. in epist. ad Rom. 1, 21-26. & ad Ephes. II, 12. Exemplis cultus diuini abnormis maxime & nefarii, vnde religionis profanae vitia, naturaeque simul humanae sibi relictae facile arguitur imbecillitas, tam s. litterarum abundant, quam reliqua rerum gestarum monumenta, remotiorum pariter temporum ac recentiorum. Vid. les volages de Bernier T. II. p. 97 163 edit. Amst. 1724.

§. V.

In religione cognitio de Deo cultum diuinum moderatur, quod idem est ac causas impulsiuas seu motiua continere ad eliciendas spirituum actiones, in honorem numinis suscipiendas §. I. n. 3. 2. Religione igitur & Deum cognoscimus, & per istam cognitionem ad officia ipsi tribuenda obstringimur seu obligamur, per philosoph. pract. vniuersal. In religione igitur obiectiua quauis discerni poterit, pars tam theoretica quae noticia tantum numinis optimi terminatur, seu complexu de Deo cognitorum, obligationum erga eum nondum ratione habita: quam practica, quae ad obligationes erga Deum redit, & a theoretica pender. Errores in cognitione de Deo seu parte religionis theoretica, si fiant causae impulsivae ad cultum eius; per obligationes spurias permanant ad partem practica, & cum cultu quem dirgunt, a natura diuina alieno §. III. n. 3. religionem efficiunt falsam §. III. n. 1. Scientia sicubi in religione quaeritur; at partem eiusdem pertinere debet, tam theoreticam quam practicam n. 1. & §. II. n. 3. Vtrumque quod ex definitione religionis defluxit, & notitiam Dei & in eundem officia, semper copulasse religiosos homines vel ex §. I. patet; eiusque rei causam tam in obiecti ipsius perfectissimi natura, necessariisque quibus ad illum referuntur res creatae respectibus, quam in animorum naturis reperimus ad legem certam ita efficiis, vt venerationem habeat quidquid excellit, mentemque in clinent, quæ cum boni nobis malue visa veniunt. Conf. Reinbeckii medit. in Aug. conf. T. III. medit. XXXXI. §. I-III.

4.

Num. 1.
Pars in qua
religione tan
theoretica
quam pra
ctica.

3.

Num. 1.
Diiudicatio
religionum
ex fine debet
fieri earum
communis

2.

3.

Num. 1.
Finis religio-
nis hominum
eum Deo con-
iunctio & cre-
atoris gloria.

2.

3.

4.

§. VI.

De eo quod boni in rebus perfective inest iudicaturus, finium cognitione opus habet, ad quos conspirare referrique debet partium in rebus perfectis varietas: eosdemque quo magis res accedere sentiet, hoc illas iudicabit perfectiores, per metaph. Praestare aliis dicimus quae bonitate supereminet seu illa gaudent maiori. Talia quatenus inter se comparantur, eiusdem sunt generis: quantitates enim metimur ex homogeneis. Sique perfectiones, quarum gradus in rebus semet inuicem praestantibus spectantur, sunt pariter eiusdem generis; eatenus iudicantur ex fine communi per metaph. Quare fac de religionum plurium praestantia, qua semet inuicem excedunt, esse pronuntiandum; quaestio ista redibit ad considerationem finis illarum communis, & ad examen denique consensus, quo magis minusue quaevis earum huic fini attemperatur. Religio falsa, apparens, qua talis, proprie huic censui contentionique religionum subiici nescit, & religiones sic comparandae, esse hinc nequeunt nisi species tantum vnicae verae §. III. n. 3. 2. Conf. venerandi Reuschii theol. dogm. affectam §. XXXIX.

§. VII.

Coniunctio quae Deum hominesque intercedere potest, ex parte hominum considerata, statu absoluitur, qui a cognitione numinis optimi, & ad idem propensione proficiscitur. Gloria Dei in iudiciis constituitur spirituum de ipsius excellentia. Religione vera Deum cognoscimus, & quidem ita vt haec cognitio contineat causas impulsivas seu motiua, & ista quidem vera, vtque hinc illa ad Deum animorum quadam inclinatione feramur §. V. i. III. i. III. Religio hinc vera inseruit coniunctioni mortalium cum Deo. Porro cognitio de Deo in religione vera, naturae ipsius est conueniens §. III. n. 1. Hinc per illam inesse naturae eius perfectiones immensas omnes cognoscimus, seu iudicium de illis, quod ipsi insunt ferre discimus; insunt enim per theol. nat. Hocque porro iudicio ad actiones impellimur in honorem eius patrandas, seu ad significandum, quam egregie de illo sentiamus §. I. n. 2. 3. Ob vtramque ergo rationem religio vera inseruit etiam Dei gloriae n. 1. Iam vero ad quodcunque bonum facere rem aliquam nouimus, id eius ceu medii praedicamus constituere finem, si non aliorum forsitan, Dei certe creatoris destinatione, rerum omnium gnari, sapientissimi- que

mique per teleol. theolog. Tam igitur coniunctionem Deum inter & homines, quam Creatoris gloriam, fines constituere religionis colligimus n. 3. eorumque hanc remotiorem, quippe qui ex altero demum consequitur ut ex medio) illam vero propiorem; vtramque vero intendi, quae fieri potest, maximam, a Deo scilicet, qui bona semper intendit, quae obtineri possunt maxima per theol. lamque sic suppetet modulus ad quem exigenda erit religionum dimensio. Praestabit hoc religio altera, quo coniunctioni mortalium cum Deo quae obtineri potest maximae, exindeque fluenti creatoris gloriae maximae, erit accommodatior §. VI. n. 1. Huicque fini religionis in genere convenire finem reuelata in specie constitutum, quoad generaliora ex 2 Tim. III. 16. Pl. XIX. 9. si cenferas, patebit, collato simul Deut. XXXII. 3. Dan. V, 24.

§. VIII.

Quo maiori hominum cum Deo conjunctioni quoque maiori creatoris gloriae inseruit religio, hoc est praestantior §. VII. n. 5. Jam vero coniunctionem Deum inter & homines hoc maior est, quo plurimam illa est hominum, quo maiori ex cognitione de Deo, quoque maiori ex inclinatione erga illum illa oritur §. VII. n. 1. At cognitionem hoc majorem praedicamus, quo illa est vastior, clarior hinc distinctior &c. certior, ardentior; & inclinationem quo illa est liberior, plenior magisque efficiens, hancque ab illa pendere nouimus per princ. psychol. Religionem igitur eo magis aliam alia praestare colligimus, ad quo plurium hominum, quo vastiorem, clariorem certiore, ardentioreque de Deo cognitionem, indeque oriundam erga eundem propensionem liberiore, plenior facere illam sentimus. Igitur religionem contende omnium mortalium intelligentiae subiectam, cum religione multorum vel plurimorum caprum superante, vastiorem, seu plura admodum de Deo hominumque erga illum obligationibus continentem, cum circumscripta admodum, claram, distinctiorem & expeditiorem, cum obscurius vel confusus sua tradente, certitudine omnimoda fultam cum addubitante, vita maiori gaudentem, animosque hominum pluribus maioribusque motuius accendentem cum mortua fere, ac otiosiori: & religionem, si valere quidquam rationes nostrae caeteraque sint paria, antecellere hic semper pronuntiabis generis prioris.

Nam. 1. Religio hoc praestantior quo maior inseruit hominum cum Deo coniunctio.

5.

2.

3.

§. IX.

§. VIII.

Num. 1.
Et creatoris
gloriae.

2.

3.

4.

Gloria numinis optimi inter mortales tanto maior obtinetur, quanto plurium hominum quanto plura & maiora de excellentia ipsius iudicia, ad illam consentiunt §. VII. n. 1. Religio igitur eo magis fini huic vltiori inseruiet, eoque alia hinc alia erit praestantior §. VII. 4. §. VIII. n. 1. quo plurium mortalium pluribus, maioribusque de excellentia numinis, inseruiet illa iudiciis. At iudicia vel intuitiva sunt ex sensationibus combinata, vel discursiva per ratiocinium elicita, & hoc maiora praedicantur, quo cognitione constant maiori §. VIII. n. 1. Religio quare quo pluribus utriusque generis, clarioribus, certioribus, fortioribusque de excellentia numinis iudiciis mortalium inseruit in parte theoretica: quo pluribus, quod inde consequitur, maioribusque actionibus in honorem Dei elicendis, per obligationes plures, majores sufficit, in parte practica §. V. n. 1. hoc illa ad gloriam diuinam relata, erit praestantior. Religio praestantissima omnium erit, ab hisce omnibus ad finem vtrumque vtilitibus §. IX. & §. hujus n. 1. 2. maxime omnium commendabilis. Religio scientia caeteris paribus praestabit incertiori §. II. 3. VIII. 1. 2. Et vt iam contrahantur tractationis capita, religionis cuiusvis verae obiectivae, qua socias superare poterit praestantia, redibit cum ad vastitatem maiorem, certitudinemque, tum ad facilitatem perspicuitatemque veritatum quas continet maiorem, tum ad vitam denique earundem, efficaciamque maiorem Quo praestantior religio quaedam singularis obiectivae sumpta, hoc praestantior & erit ad quam illa referatur, religio subiectivae sumpta s. pietas §. III. 2. Quae omnia uti in gratiam earum rerum potissimum evoluta sunt a quibus excipientur, sic nec vel in se spectata, vtilitate omni forsitan destituta iudicabuntur, si apud arbitros agatur quaestio, quales postulat veritas.

§. X.

Num. 1.
Religio natu-
ralis quid sit.

Initi iam consilii memores, missis de religione generalioribus, ad species descendimus, ibique natura duce in religionem veram primum incidimus, ad quam natura hominum sibi relicta sufficit, quae notio est religionis quam dicunt, naturalis. Quo in loco nec vberius expediam quam par est, per naturam nobis intelligi cum philosophis complexum mutationis principiorum homini interiorum, eorumque inprimis facultates & vires: nec quod ex indole religionis consequitur multis monebo, in censum potissimum hic venire

venire facultates animi quibus cognoscit & appetit. Breuiter aequae, sufficere rem dicam rei, cuius totius rationem in se sitam habet. Religio naturalis obiectiue sumta in complexu de Deo vere cognitorum, indeque pendente eiusdem cultu consistet, cui natura hominum sufficit §. II. 1. partemque complectetur tam theoreticam quam practicam. §. V. 1. Quarum ad priorem pertinebit, veritatum quidquid per solum facultatum cognoscendi usum, innotuit vnquam mortalibus de Deo, hinc de natura eius, operibusque & ad vniuersum hoc & humanum genus relationibus, tum a priori ex notione entis perfectissimi, tum a posteriori ex effectibus causae supremae in vniuerso: qualis duplex ratio cognoscendi & alias res & Deum cadit in homines per psychol. & theol. nat. Cumque effectus vis diuinae in euentuum numero veniant, quorum enumeratione & memoria historica absolvitur; consequitur hinc ut opituletur religioni naturali historia nitens experientia & fide humana. Huiusque historiae etiam ad religionem relatae, quam late excurrant campi vel inde elucebit, quod rerum quantam quantam cogitatione assequi valeamus finitarum, existentium vniuersitatem, numinis O. M. dicimus effectum, eidemque conseruationem omnium cum gubernatione tribuimus, philosophi pariter ac theologi.

§. XI.

Religionis naturalis obiectiue spectatae partem practicam in obligationum erga Deum officiorumque inde pendentium complexu constituimus, quibus cognoscendis vires hominum naturales sufficiunt §. V. 1. X. 1. Quae dum sufficiunt cognitioni tam de numinis natura, eiusque ad humanum genus relationis §. X. n. 2. 3. quam de naturae humanae inprimisque animi indole per anthropologiam & inprimis psychol. vnde obligationum nostrarum erga summum numen pendet cognitio, teste pract. vniuers. & §. V. n. 3; fieri haud potuit facile vt destituatur parte practica religio naturalis, nec hac parte vnquam destituta est, quod historia euincit dogmatum. Cumque porro natura hominum sufficit scientiae de Deo erga eumque obligationibus per theol. natur. & ethic. philos.; religio naturalis vel scientia erit, vel confusior incertiorque tantum de DEO obligationibusque erga eum nostris cognitio, religio vulgaris. Hocque denique erit praestantior religio naturalis, quo magis vastitatem, facilitatem, certitudinem vitamque doctrinarum maiorem copulat §. IX. 3. De-

B

fectus

2.

3.

Num. 1.
Pars eius tam
theoretica
quam pra-
ctica

2.

festus in parte ejus theoretica permanebunt ad practicam §. V. 1. si autem fuerit scientia, praestabit caeteris paribus religione naturali vulgari §. IX. 3. Quod circa religionem in genere spectatam iam monuimus, ad §. tam I. n. 3. quam V. n. 3. scilicet partem illa includi semper practicam, idem ut obtinuisse semper in religione naturali constat, effici poterit historia, tam dogmatum de Deo, quam cultus rituumque varii generis, inter gentes non nisi natura duce id consequitas. Quae tamen ex largissima segete nil hic adduco praeter Cicer. de nat. deorum dialogos, ne probare anxie videar quae nemo in dubium vocat rerum in terrarum orbe gestarum vel mediocriter gnarus. Conf. Reinbeck. meditat. in aug. conf. t. IV. med. 41. §. 8. & si cui copia est, opus illud splendidissimum cui, ni fallor titulus est: Coutumes religieuses de tous les peuples du monde.

§. XII.

Quatenus ex cognitione quadam obiectiue sumpta, concipi quid potest, seu quatenus illa aliorum est ratio, eatenus illi tribuitur vis. Quae si a sola cognitionis natura pendet, ipsi audit naturalis, nativa; si a sola talis cognitionis natura pendere nequit, respectu eius audit praeternaturalis. Cognitionis alicuius vis, quae praeternaturalis est respectu naturae vniversae finitae, erit supernaturalis. Natura cognitionis obiectiue sumptae in genere complexu absoluitur perceptionum clarum §. I. 1. qualium nulla cum potest esse profus sterilis. sed habet quod ex illa queat concipi per ontol.; consequitur ut eius cognitioni obiectiue sumptae, per naturam suam insit quaedam vis, dicenda hinc ipsi naturalis, nativa. Quatenus a cognitione aliqua per naturam eius solam, pendere possunt perceptiones aliae, ex c. veritatis aliorum, certitudinis, claritatis, viuidentis, quam dicunt &c. eatenus vis ipsi competit nativa quam theoreticam dicemus seu docentem, si vsui loquendi placet terminorum arbitro: quatenus per naturam cognitionis cuiusdam obiectiue sumptae solam, pendere ab eadem possunt appetitiones vel auersationes, eatenus vis ipsi inest nativa, quam naturalem dicemus practicam seu mouentem; qualem competere cognitioni, si boni malive perceptiones, seu causas impulsivas continet, constat ex psychol. Caeterum, vim cognitioni non tribui nisi improprie, vel me tacente norit dynamics philos. gnarus. Sterilitatis absolutae ex veritatum quoque ditionibus proscriptionem, non mirabitur,

prin-

Num. 1.
Vis cognitio-
nis quid sit
naturalis &
supernatura-
lis.

2.

3.

4.

principii vniuersalis, quod rationati dicunt, memor. Ad reliqua §. huius momenta conferatur §. 515, 531, 669, 671. metaphysic. recent. edit., celeb. Alex. Gottl. Baumgarten praeceptoris quondam in philosophicis, quod nomen & tempus, non sine dulci quodam officii gratæque mentis sensu, hic recolo.

§. XIII.

Religio quaeuis obiectiue sumta, vi gaudet naturali §. I. n. 1. Num. 1. XII. 2. & quidem dum veritatum eius de DEO in parte theoretica Religiōni naturali vis quaeuis est iterum foecunda, vi gaudet illa naturali tam docente naturali vis quam, quia causas continet impulsivas §. V. 1. naturali mouente seu competit non nisi naturalis. practica §. XII. n. 2. 3. Religio naturalis hanc vtramque vim naturalem cum omni religione habet communem. At praeterea per naturam suam in specie consideratam, ita comparata est, vt natura hominum ipsi sufficiat, nec maior hinc illa sit quam facultates hominum naturales §. XI. n. 1. Iam vero tanta ista est, quanta est vis eius §. XII. n. 1. nec vis igitur eius vltra facultates hominum ascendet naturales. Vis quapropter religionis hominum naturalis terminatur facultatibus hominum naturalibus & cuiusque perceptioni aut appetitioni nequeunt sufficere facultates hominum naturales, ei nec sufficit religio hominum quae dicitur naturalis obiectiue sumta. At pluribus illa sufficeret, si praeter naturam vim suam, quae cum facultatibus hominum naturalibus pari passu incedit, gauderet adhuc vi praeternaturali, aut quod maius adhuc foret, supernaturali §. XII. 1. non competit igitur religioni, quae naturalis iure dicenda est, nisi vis eius natia s. naturalis. Sique datur religio obiectiua humana, cui competit etiam vis supernaturalis, non ea dicenda erit religio naturalis. Limitibus sic circumscribens vim religionis humanae naturalis obiectiue sumtae, non ignoro vel admirabilem illam, quam philosophi norunt, veritatum in vniuersum omnium continuationem; seriemque, qua nexa alia ex aliis omnibus, singulaeque inter se aptae & colligatae deprehenduntur: vel quod obici inde contra sententiam nostram in hoc §. exhibitam forsitan posset, vim scilicet cuiusuis veritatis, in hac vniuersali complexione, hinc etiam cuiusuis religionis obiectiuae, non minus, late patere, quam veritatum in vniuersum omnium procurrit catena, cuius scilicet singulae partes & membra ex singulis omnibus cognosci possunt, a ratione certe perfectissima. Sed monendum hic putem, tum partes huius vastis-

vastissimi veritatum complexus, obiecta naturarum percipientium finitarum, non fieri, nisi quatenus ab illis percipi possunt; tum etiam veritates certo cuidam mentium ordini naturales haud dici, nisi quatenus cum connexis suis per facultates harum mentium naturales possunt percipi, & eatenus hinc tantum veritatum naturalium vim patere quatenus docere & mouere valent mentes, quarum obiecta fiunt, naturaliter.

§. XIII.

Num. 1. Religio naturalis obiectiue sumta pluribus de Deo cultaque
Religio natu- eius veritatibus non constat, quam quibus natura hominum cogno-
ralis vasta mi- scendis sufficit §. X. 2. Quae dum limitibus continetur sat angu-
aus. stis, quia est finita per metaph. & maxima praeterea in corruptela
per experientiam, ad obiectumque refertur in religione, infinitum
immensum per theol. nat.; fieri non solum potest, sed fiat necesse
est, vt ad multa de Deo, hinc & de cultu eius cognoscenda, non suffi-
ciat, tam in se spectata, quam in statu corruptelae, vtque hinc mul-
tis admodum veritatibus de Deo cultuque eius careat etiam religio
naturalis obiectiue sumta, tam quibus cognoscendis impar est natu-
ra hominum profus, quam quibus parum illa sufficit corrupta.
At quo pauciores religio aliqua obiectiua complectitur veritates,
hoc minus praestabit. §. VIII. 3. §. IX. 3. Corruptelae hominum
probationem ad experientiam hic reiiciens, exemplis haud destitutor
philosophorum idem facientium tam profanorum, quorum que-
stibus bassim & lamentationibus super hac re personant omnia, quam
nostrae gentis, Vid. Reuschii theol. dogm. §. XII. & Knuzium, in
philosoph. Beweis von der Wahrheit der Christl. Religion §. XIII.
& XIV. Cicer. quaeft. tusc. III. Nec fore facile crediderim mortalem
adeo suimet ipsius ignarum, quin experientia duce, non appetituum
solum, verum & cognoscendi facultatis defectus in se conspiciat, qui
hic potissimum in censum veniunt, illosque a culpa deriuandos, non
autem ab impotentia solum, quam dicunt, mere naturali. De di-
stinctionibus caeterum quibus vtimur hac in doctrina, impossibilis
scilicet physice vel simpliciter vel secundum quid talis, vid Baum-
garten metaph. §. 469. edit. nou.

§. XV.

Num. 1. Cognitio de Deo cultuque eius naturalis obiectiua, si complexu
Eadem vulga- consusius cognitorum, cumque principiis aut nullis fere, aut parum
ris, incerta, certis

certis connexorum, potissimum constat, religionis nomen accipit naturalis vulgaris, si scilicet vera est §. X. n. XI. 2. quod esse vtiq̄ue potest, licet sit incertior, per log. & psychol. Talis religio naturalis dum potissimum pender, a rationis analogo seu facultatibus nexum rerum cognoscendi sine distinctione, hinc a facultatibus cognoscendi errorum periculo maxime obnoxiiis, confusio enim errorum omnium genitrix per psychol.; consequitur, ut & ipsa haec religio vulgaris ab imminentium vbique errorum insidiis minime sit remota. At hoc minus fini sufficiens minusque praestans est religio, quo minus est certa §. IIX. 3. IX. 3. Assertum huius §. experientia edoctus, dabit facile quiuis, si obseruauerit quam facile admodum hominum rudiorum & a scientia alienorum systematibus qualibuscunque erroris aliquid adhaereat; sique profanarum religionum exempla huc referre non gravetur, quae hoc non vitato periculo religionis naturalis nomine, non nisi ob paucissimas adhuc quas seruant, veritates dignae erunt ferendae. Conf. Reinbeck medit. in Aug. Conf. T. IV. medit. XLI. §. 33.

§. XVI.

Vti incertior est religio naturalis, si fuerit vulgaris §. XV. 2. Sic certa illa est si sit scientia §. II. 3. id est, si contineat ex principiis certis, hinc distincte cognitis, & rite circumscriptis, legitime deducta per logic. pendens tunc a ratione, eiusque vtu legitimo, quem dirigit logica regulis multis sat & subtilibus per psych. & logic. At ista conditio, qua posita ponitur demum religionis naturalis certitudo, esse deprehenditur, tum ardui fatis negotii, vt sunt mortaliū plurimi facultatibus animi inferioribus plurimum valentes, & vt sapientior quisque, ita non sine labore sapiens: tum, quod inde fluit, si in concreto seu indiuiduo rem spectemus, difficulter aequae ab oppositi formidine liberanda, facillime enim pro scientia habemus homines quod non est, idque quo latiores sunt veritatum complexus hoc facilius, teste experientia. Quapropter si certitudo cognoscibilitate quam dicunt, veritatis in rebus absoluitur, & quidem, si fuerit relatiua seu externa, hoc maior est, quo in maiori nexu hinc ad quo plura subiecta relata, quo facilius clariusque res quoad veritatem suam potest cognosci; fluere hinc crediderim, certitudinem hanc externam & relatiuam religionis naturalis, per scientiam demum obtinendam, angustis admodum contineri finibus: dum scilicet scientiae

Num. 1.
et certitudinis
difficilis si est
scientia.

- entiae, paucissimi mortalium, si comparaueris, sufficiunt, & qui sufficiunt, negotio id consequuntur, non nisi difficiliori. Iam vero religio hoc minus fini sufficiens, hocque minus praestans quo minoris est certitudinis, etiam relatiuae s. externae, quo pauciorum hominum captui est attemperata, quo visus hinc est difficilioris §. VIII. 3.
4. VIII. 3. Monendum hic duco, quia vera est de qua loquimur religio naturalis vel vulgaris illa sit vel scientia §. X. n. 1. in censum hunc non referri, quam vtrique damus certitudinem internam absolutam, seu veritatem in se cognoscibilem; sed certitudinem indagari externam, relatiuam, vbi quaerimus an relata ad homines obtinere queat haec veritatis cognoscibilitas, quae dat certitudinem, quod fere prorsus denegandum ducimus religioni naturali si est vulgaris §. XV. eidem damus, si est scientia, sed quod inde fluit, in nexu tunc spectatae non nisi cum paucissimis hominibus, & quidem difficulter obtinendo. Conf. Reinbeck med. in Aug. conf. T. III. med. 41. §. 34.

§. XVII.

- Quae omnia de religione naturali adhuc probata, viam vespereo, sternet ad comparationem felicius instituendam quam meditamur si comparandorum alterum antea lustrauerimus. Sed iam hic ex praemissis quae colligi poterunt, sic habe. Religio naturalis obiectiue sumta vasta parum in iis quae tradit de Deo eiusque cultu §. XIV. Pone igitur dari religionem aliam veram, naturali vastiorem; fini haec magis sufficiet quam naturalis, eaque sic erit praestantior §. II. 3. IX. 3. Religio naturalis vi gaudet ac efficacia non nisi naturali haud ita magna §. XIII. 3. Pone dari religionem obiectiuam veram aliam, vi praeditam non naturali solum, verum & supernaturali, hinc multo maiori §. XII. 1. praestabit haec naturali §. IX. 3. Religio naturalis vulgaris certitudinem vix ac ne vix quidem admittit; scientia, admittit omnino sed difficulter obtinendam, plurimorumque hinc hominum sagacitate longe maiorem §. XV. 2. XVI. Pone dari religionem, quae si vel vulgaris sit, admittit certitudinem maximam facillimam, ideoque mortalium quibusvis, cuiuscunque sint ingenii, pronam; sique sit illa scientia, scientiae facillime iungere, vias ac rationes, quibus ad certitudinem peruenire mortalibus datum est, omnes: imo fac tandem, religionem dari, haec omnia quibus superari potest naturalis, faustissimo vinculo copulan-

Num. I.
Defectus religionis naturalis obiectiue spectatae

pulantem, & illa quidem singula maxima, religionis sic informabis imaginem, non naturali solum longe praestantiozem, sed praestantissimam omnium §. II. 3. IX. 3. Cuius quemadmodum hic iam e longinquo quasi ad animum pertingentis excellentiae sensum, licet praecipere, ita existentem illam, & quod benignissimo numini placuit, in natura rerum obuiam considerabit pars tractationis specialior.

§. XIII.

Religio naturalis subiectiue sumta, in habitu consistit naturali Deum cognoscendi & colendi & pietatis naturalis venit nomine. Quae hinc habitu absoluitur tam theoretico quam practico & quidem adquisito §. III. 1. 2. quales sunt habitus, quos naturae solius ope consequimur omnes, teste psychol. Pietas quapropter naturalis egregia parum, dum naturam a qua sola pendet, nouimus deprauatam admodum §. XIV. dumque porro, quod experientiae & psychologiae fides conficit, veritatum complexus aliquis, hinc & religio obiectiue sumta signorum beneficio animis hominum se insinuans, habitibus naturalibus producendis hoc maioribus aut minoribus sufficit, prouti praestantior est vel minus, inprimisque quo vi gaudet maiori aut minori; concipi hinc quoque facile crediderim, pietatis naturalis defectus, quatenus illa, a religione naturali obiectiue sumta pendere potest, vasta parum, certitudinis difficilioris, & vis denique tantum naturalis, quod §§. XIV, XV, XVI & XIII. exposuimus.

§. XIX.

Reuelationis variae admodum feruntur notiones quarum altera latius semper, angustiusque patere deprehenditur altera. Quare vt nobis constemus ipsimet in posterum, certam hic statim potestatem vocabulum induat; dicimus autem reuelationem *manifestationem certi cuiusdam veritatum complexus miraculosam*. Vnde nil hic dicere eam attinet, vel latissimo significato, manifestationem diuinitus factam quocunque modo, exempli causa indulgendo cognoscendi facultates, cognitionisque obiecta; qualem reuelationem, in quauis cognitione mentium finitarum omnium locum habere nouimus, & inprimis de theologia & religione naturali praedicare consueuimus; vel strictissima vocis acceptione, manifestationem diuinitus factam veritatum supra hominum rationem positarum, quod reuelationi veritates omnes subtrahit, naturae hominum sibi relictæ obuias. Medium tenet inter vtrumque extremum nostra definitio, sistens

Num. 1.
Religio naturalis subiectiue sumta quid sit. Defectus eius.

2.

Num. 1.
Reuelatio quid, & religio reuelata.

2.

3. sistens reuelationem propiorem quidem, non autem strictissimo significato. *Pendens a reuelatione religio reuelata audit.* Quae hinc originis dum est supernaturalis extraordinariae, quae miraculi est notio, pendet a summo numine, miraculorum auctore vnico, & quidem immediate per princ. metaph. & obiectiue sumta complexu terminabitur veritatum de Deo, hominumque erga eum obligatum reuelatarum §. II. 1. Conf. ad hunc §. praefidis summe reuereudi Disput. I. de f. scriptura §. I. VII.

§. XX.

Num. 1.
Eius possibilitas interna, & eiusdem ad omnipotentiam relatae possibilitas.

Religio si existit reuelata, existit per miraculum §. XIX. at mentis diuinae manifestatio supernaturalis est in se possibilis. Quod sic efficitur. Existere scimus manifestationem mentis diuinae per naturam finitam vniuersam, naturalem, generaliore, ad quam Deus vitur mediis rerum creaturarum naturis secundum naturae ordinem quod ex theol. nat. sumimus. At haec contingens est in se manifestatio, non minus ac natura vniuersa finita per cosmol. Possibile igitur in se, quod illi opponitur, id quod notio postular contingentiae, iam vero illi opponitur manifestatio certi cuiusdam veritatum complexus, ad quam Deus non mediis vitur creaturarum rerum naturis secundum naturae ordinem. Talis autem manifestatio erit supernaturalis, extraordinaria, miraculosa, reuelatio §. XIX. 1. Quae hinc in & per se dicenda est possibilis; religionem vnde dari reuelatam §. XIX. 3. non est quod in se possibile haud esse dicamus. Dumque sic est in se possibilis, & Deo possibilis sit, necesse est, physice scilicet, seu ad vim eius relata immensam, quae nulli possibili existentiae dando non sufficit per theol. Rationem qua possibilitatem internam reuelationis hic stabilimus, generalius usurpata, in miraculorum omnium gratiam vide in Baumgarten Metaph. §. 475.

§. XXI.

Num. 2.
Demonstratio ad omnipotentiam relata, possibilitatis eiusdem hypotheticae in mundo optimo inchoatur,

Verum enimvero, quia inde quod reuelata religio in se & ad omnipotentiam relata, possibilis est §. XX. 2. existentiae eam debere in mundo sapientissime ordinato nondum consequitur; vltiori eiusdem demonstrationi fundamenta subdere sic liceat. Ex fine mundi pneumatici sapremo & vltimo, eiusdem perfectionis regulam enasci summam & fortissimam sumo ex metaph. At finis hic mundi pneumatici gloria creatoris est maxima, promouenda per religionem quae obtineri potest maximam, quod theol. nat. probat &

ex

ex §. VII. colligitur. Iam igitur regula perfectionis mundi pneumatici summa haec erit: Gloria creatoris existat in ciuitate Dei, maxima, per religionem quae esse potest maximam. Fini regni pneumatici vltimo inferuiens vt medium, constitutus est, ordo in eodem naturae, qui regulis nititur aesthetico-logico-moralibus, ad quas componuntur spirituum mutationes, ex pneumatologia lemma & theol. nat. Resultabit hinc regula perfectionis in mundo pneumatico inferior haecce: gloria creatoris existat in ciuitate Dei, maxima, per religionem quae esse potest maximam, naturae spirituum vniuersae eiusque ordini conuenienter. Et ab hac quidem regula, si pugnat cum regula summa & fortissima, cui subest, fit exceptio per princ. ontol. Conf. Baumg. metaph. §. 482-84.

§. XXII.

Finis a sapientissimo regni gratiae moderatore eidem praefixus, per regulam fortissimam postulat religionem maximam quae obtineri potest, & praestantissimam §. XXI. 2. Iam pone altera ex parte religionem spiritibus finitis naturalem, ordinique hinc naturae in regno pneumatico conformem, sed sequiorem, fini summo parum sufficientem §. XXI. 1. ex altera parte religionem aequae in se possibilem, priori longe excellentiorem, fini hinc vltimo regni pneumatici conformiorem at non obtinendam nisi per reuelationem nisi patrato miraculo in ciuitate Dei & contra ordinem naturae. Postulabit religionem reuelatam regula perfectionis in mundo pneumatico summa. Reclamat quo minus id fiat, regula inferior eiusdem regni, postulans religionem non nisi naturalem §. XXI. At pugnantibus secum inuicem his perfectionum regulis, inferior proponitur superiori §. XXI. 3. Obtinebit religio reuelata, postulante eandem sine mundi pneumatici vltimo per regulam summam. Religio igitur reuelata etiam ad sapientiam numinis summam si referatur, & in nexu mundi pneumatici optimi est possibilis, si praestantior esse potest religione naturali. Iam vero religio naturalis hominum minime est praestantissima §. XIII XVII. hinc qua praestantior est admodum possibilis. A benignitate etiam Dei infinita, quae deriuari potest ratio, vt probabilis fiat reuelationis existentia vid. Reusch. theol. dogm. §. 41. Praesid summe reu. disp. I. de s. script. §. 40. & Knuzens philos. Beweis der Wahrheit der Christl. Religion XXVIII.

C

§. XXIII.

§. XXIII.

- Num. 1. Reuelata religio, sicubi datur, omnium est praestantissima.
2. Ponere religionem naturalem fini ciuitatis Dei summo, & creatoris sic sapientiae magis aut aequae saltem sufficere ac religio sufficeret reuelata; haec posterior locum in regno gratiae habere nescit. Si enim minus quam naturalis sufficit fini ultimo, arceatur ab existentia in ciuitate Dei per utramque regulam, inferiorem & summam §. XXI. Si videatur saltem aequae sufficere fini ultimo ac naturalis; non paret certe regulae inferiori, quae naturalia poscit §. XXI. 3. cui dum naturalis paret religio, simul aequae in hoc casu fini summo inseruiens, perfectior esse deprehendetur religione reuelata, duobus scilicet finibus respondens; hincque per ipsam regulam summam praefereatur religioni reuelatae, nec quidem aequae, fini summo inseruienti. Quapropter religio quandocumque existit reuelata, esse nequit nisi naturali religione praestantior: Et quo praestantior erit, hoc magis locum inuenturam esse illam indidem colligimus, & praestantissimam hinc omnium quae indulgeri mortalibus potest, locum inuenturam esse omnium maxime. Quod si ergo obrigit unquam humano generi, religio diuinitus reuelata, praestantissima illa sit omnium quae impertiri hominibus poterant, necesse est §. XXI.

§. XXIV.

- Num. 1. Eamque existere probabile admodum hinc & vastissimam existere.
2. Diuinae si id placuerit sapientiae sufficere mortalibus religionem reuelatam praestantissimam omnium, Deus facultate hanc rem efficiendi haud destituitur §. XX. 2. At a sapientia eius summa, non abhorret talis procurationis consilium §. XXI. XXII. Non est igitur, quod quo minus id fiat, impediatur, aut, quod, fore illud, dicamus, haud maxime esse probabile. Vbicunque autem gentium suffeeta mortalibus sit religio reuelata praestantissima, & vastitate, si ad finem religionis retuleris, & certitudine maxima & facillima, & vi denique ac efficacia gaudebit omnium maxima §. XVII. 3. Nec, dum hinc vastissima est, in parte theoretica desiderabit veritatum quidquam de Deo, ad finem religionis necessariorum, vnde etiam historia ipsi famulabitur operum diuinorum reuelata §. X. 3: nec in parte practica obligationum erga Deum officiorumque cognoscendorum quidquam, motiuorumque plurimorum maximorumque quidquam ipsi deerit §. IIX. 3. IX. 2. Quae omnia secus se habent in religione naturali §. XIV. 1. De probabilitate reuelationis propriis, etiam a gentibus profanis in vniuersum fere omnibus tacite supposita,

posita, quoties oracula, diuorumque apparitiones varias iactant, vid. Reinbeck medit. in Aug. conf. T. I. med. II. §. 5. adde desiderium quoque reuelationis, quod testantur profanorum nonnulli. Plato in Epinomide & Alcibiad. II. vid. spectatoris Brit. T. III. p. 189.

§. XXV.

Sicuti cognitionis nostrae certitudo proficiscitur vel a scientia vel ab experientia, quarum circa idem aliquod obiectum versantium copulatio, connubium efficit rationis & experientiae: ita summam hominibus obtinendam certitudinem facillimamque simul, in religione locum habere patet, quae admittit tale connubium, seu cuius assertorum veritatem tam per experientiam cognoscere licet quam a priori. Iam religio si qua est hominibus, reuelata, certitudinis erit maximae etiam relatiuae seu facillimae §. XXIV. 2. §. XVI. 3. Credibile igitur est illam admissuram esse, quantum id. scilicet fieri fas est, scientiam aequae ac experientiam, eaque re eandem aequae fore certam, vel scientia fuerit in indiuiduo spectata, vel cognitio tantum vulgaris, quod focus multo est in religione naturali §. XV. Fidem obtinere dicimus, vbi pro vero quid habemus propter testimonium; quod si testis ferat, cuius certo constat dexteritas pariter ac sinceritas, resultat inde certitudo quam dicimus fidei. Testimonium diuinum testis omniscii veracissimi dat certitudinem fidei maximam, simulque dum autoritate facillime in assensum ducimur homines, facillimam. At possibile tale testimonium in se & in nexu cum omnipotentia ac sapientia diuina, non minus quam reuelatio propior ipsa, a qua pendebit illud §. XX. & XXII. Et hac igitur via, autoritatis scilicet, ad certitudinem ductum iri mortales per religionem, si qua obtinet inter illos reuelata, omnibus numeris absoluta, captiuque omnium quam maxime accommodata, probabile est §. XXIV. n. 2.

§. XXVI.

Religio sicubi extat hominibus reuelata vi gaudebit ac efficacia docente pariter ac mouente, quae ipsi cum quavis religione communis, & ex natura eius, altiusque si ascenderis, subiecto quoque, hominum scilicet ad quos referrur, natura sola poterit cognosci, quaeque inde efficaciae eius nativae venit nomine §. XII. XIII. 1. Dumque per naturam suam religio haec reuelata obiectiue sumta, complexu absoluetur veritatum de Deo, hominibus reuelatarum quae

Num. 1.
Et certitudinis, facillimae eandem.

2.

3.

4.

Num. 1.
Et vis denique supernaturalis.

quae cultum diuinum moderantur. §. XIX. 3; vim eiusdem natiuam
 in eo poni debere patet, vt, quae omnium veritatum & in primis
 religionum §. XIII. 3. est virtus, ab illa & ab animorum illam cogno-
 scientium natura sola, pendere queant, tum perceptiones vel clarae
 tantum sed confusiores, viuidae &c. vel distinctae, certae &c. de Deo
 eiusque perfectionibus &c. tum etiam appetitiones eiusdem Dei
 honorisque eius naturales hominum, vel sensitiuae vel rationales.
 Quae omnia, si colligas vim & efficaciam religionis reuelatae dabunt
 natiuam, quam aesthetico-logico moralem dicunt theologi. Hanc-
 2. que vim religionis reuelatae, natiuam licet tantum, facultatibusque
 hominum naturalibus terminandam, maiorem tamen quodammodo
 deprehendes vi religionis naturalis §. XIII. dum scilicet religio reue-
 lata vastior erit naturali seu pluribus constans veritatibus §. XXIV.
 hinc pluribus gaudebit etiam rationibus seu ex quibus cognosci quid
 3. potest, quod vim eius intendit XII. n. 1. At praeterea ex supra ex-
 positis constat, religionem reuelatione hominibus procurandam,
 fore praestantissimam omnium, hinc etiam vi gaudentem, maxime
 fini consequendo coniunctioni scilicet hominum cum Deo maximae,
 gloriaeque diuinae inde pendenti, sufficiente §. XXIV. 2. §. VII. 4. 5.
 lam autem ad hunc finem si exigitur religionis reuelatae vis naturalis
 tantum, cum quavis religione ipsi communis, facultatibus hominum
 naturalibus terminanda, parum sufficientibus huic fini §. XIV. reli-
 gionem reuelatam hac tantum vi naturali instructam, minime fore
 deprehendes praestantissimam. Qualis contra erit maxime, si vin-
 culo indiuulso copuletur cum veritatibus eius, eique sic impertiatur
 vis supernaturalis, nec a natura eius, nec a natura vniuersa finita
 deriuanda, sed diuina, quibusuis hinc tam perceptionibus quam
 inclinationibus mortalium ad finem necessariis, excitandis, suffi-
 4. ciens; idque per concursum auctoris omnipotentis supernaturalem
 §. XII. 1. Qualis efficaciae cum religione reuelata, copulatio, cum
 in se, & ad omnipotentiam numinis relata, aequae possibilis sit, ac
 reuelatio ipsa §. XX. cumque eadem sapientiae Dei sit conueniens,
 postulanti scilicet, si reuelat, reuelationis procuracionem omnium
 praestantissimae §. XXIII. 3.; probabile hinc esse colligimus religio-
 nem reuelatam vi fore instruendam ac efficacia, praeter natiuam
 suam, supernaturali quoque maxima, vnde denuo habebit quo lon-
 gissime antecellat religionem naturalem §. XIII. 3. Strictim hic,
 gene-

generaliusque tantum quae attingimus, explicata fusius vide tam in Reuschii theologia dogmat. §. XC. quam in Musaei introd. in theol. P. II. C. VI. §. V. XIX. n. 2. & in dissertatione sub auspiciis neuer. praesid, habita, de efficacia s. script. naturali & supernaturali.

§. XXVII.

Caetera quae ex contemplatione religionis tam naturalis quam reuelatae adhuc instituta fluere facile sat nobis videntur, haec fere erunt. Primum dum vera est vtraque §. X. 1. XIX. 3. nec seria unquam seu vera alteram ab altera sententiarum concertatione posse discedere, nec contradictionem hinc intercedere illas vnquam, si qua intercedit, nisi apparentem, quam veritatis cum veritate in vniuersum omni, nouimus esse consensionem: nec reuelatam hinc per naturalis ruinas ascendere, sed alterius tantum inopiae, alterius succurrere affluentiam. Vnde, quod secundo loco apparet, differre illas inter se tantum vt species partesque verae religionis vnicae §. IV. 2. licet bonitatis virtutisque gradu superet reuelata naturalem. Exhaustisque sic, quae parti tractationis generali destinaueram, longior hic esse desino: addita vel solius religiositatis, s. pietatis supernaturalis notione, quam in *habitu Deum cognoscendi & colendi supernaturali* ponimus; cuiusque prae pietate mere naturali praestantiam, me vel tacente colliget, qui bonitatem eius, ad religionem reuelatam obiectiue sumtam exegerit, vastissimam, certissimam, facillimam, &, quod summum hic est, vi pollentem maxima supernaturali; quique religionem subiectiuam ab obiectiua pendere meminerit §. III. XVIII. 2. Conf. ad n. 1, 2. Leibnitii discurs. de consensu fidei & rationis, operi incomparabili cui theodiceae nomen est, praemissum.

Num. 1.
Contentus religionis naturalis cum reuelata.

2.

3.

PARS TRACTATIONIS SPECIALIOR.

§. XXIII.

Quam in genere adhuc contemplati sumus, religionem reuelatam, cuiusque existentiae rationi haud improbabilis desiderium afferre animo iam poterat cognita eiusdem excellentia, qua naturalem longe excedit; eandem, quod optimo numini placuit, existere inter mortales scimus, per theologiam dogmaticam. Existit nempe inter illos veritatum de Deo complexus, cultum eius dirigens,

Num. 1.
Religio reuelata obiectiue sumta existit christiana.

- procuratus hominibus per reuelationem, eiusque inprimis speciem inspirationem, qui terminatur biblicorum libris veteris & noui Testamenti canonicis veritatibusque cum his vere connexis, religio christiana, veracissima etiam in iis, quae per s. scripturam testatur de femet ipsa. Quae omnia in rem nostram ex theologia dogmatica hic conuersa additis probationibus, vberius exhibentur tam in systematicis vniuersis inprimisque de s. script. articulo, quam in libris bene multis id negotii expresse profitentibus, quo in censu non ignorabuntur facile inclita illa Ioh. Alb. Fabricii, in delectu argumentor. pro verit. relig. christ. Grotti, Lamii, Dittonii, Abbadii, Turretini, Pascalii, Kortholdi & Knuzenii nomina: silentior vt supprimam celebres complures causae christianae patronos, quorum opera passim in collectione sermonum Boyleanorum extant.

§. XXIX.

Num. 1.
Hinc praestantissima.
Probandi hoc
hoc specialius
ratio.

- Reuelatam dum existentem praedicamus religionem, eodem asserto existere dicimus praestantissimam omnium, quae proficisci ab opt. numine in mortale genus potuit, cum vastitate tum certitudine, facilitateque, tum vi denique supernaturali eamque hinc ob haec omnia, religione naturali superiorem §. XXIII. - XXVI.
2. Quam praestantiam sicuti religioni, quam reuelatam dicimus, competere debere, a priori sic constat; §. XXII. ita re ipsa eidem inesse, probandum per inductionem erit, quia de existentia tunc indiuidua mouetur quaestio. Idque simul negotii veritatis religionis nostrae reuelatae probationem includet, licet non possibilem vnicam, per theol. dogmat: vnde nec est, quod circuli ineuitabilis timeamus opprobrium, tunc demum necessarii, si ob id solum vera nobis nostra dicenda esset reuelata religio, quod est praestantior naturali; & ab eadem hac eius veritate nobis eiusdem deinde ducetur praestantia. Ipsi autem, quam meditatur, inductionis, quae debet esse indoles, rem ipsam loqui credimus. Per singula eundo, quantum id quidem maxima rerum permittet affluentia, tam naturalis religio cum defectibus lustranda erit, quam e regione huic opposita cum iis, quae praerogatiua ipsi sunt, religio reuelata. Cumque porro s. scripturae, quae fert de femet ipsa & religione reuelata, fide dignissima sunt testimonia §. XXIII. XXV. 3. iisdem, si quae adsunt eiusmodi, stabiliri posse nobis, pater, reuelatae religionis prae naturali praestantiam. Quam vtramque iam viam, quanto id
- successu

successu fieri, per virium mediocritatem fas erit, tentaturi sumus, bene admodum memores negotii difficultatis, & experientia eandem edocti, & praesidis summe reuer. monitu in Disput. I. de f. script. §. LI. Quare excusationem operae parum forsitan feliciter in hac re collocatae, quam inde petimus, si non prorsus desiderauerimus; bene tum fatis nobiscum actum fuisse, fatebimur.

§. XXX.

Religio nostra reuelata, dum est vere talis, naturali debet esse vastior §. XXIX. n. 1. plures exhibens veritates de Deo, eiusque natura & operibus, indeque pendentibus ad humunum genus relationibus in parte theoretica: plura erga eundem, homines docens officia, cultumque hinc eius dirigens maiorem, in parte practica. Quod vt esse etiam probetur, per vtramque hanc partem incedet tractatio, & quidem ordiens negotium a parte religionis vtriusque theoretica. Religionis humanae naturalis pars theoretica completitur veri quidquid hominum mentibus de Deo cognoscere datum est sibi relictis §. X. 2. Vnde contineri hac eiusdem parte patet, opinionum, sententiarumque de Deo verarum, quidquid vnquam gentium omnium locorumque & temporum hominibus, solo rationis vsu aequi licuisse, per rerum dogmatumque monumenta effici poterit opitulante inprimis huic negotio, historia theologiae naturalis. Cuius autem patentissimi campi ambitum, sicuti vel summa tantum quaeuis sectando, strictiorisque designationis compendio amplecti, nec virium nostrarum, nec instituti esse fatemur; ita arduae sic rei optime consulturi nobis videmur, si tam a fontium nonnullorum mentione iniecta, testimoniorumque passim in ipsa tractatione adductorum auctoritate, quam inde potissimum denique auxilium nobis aliquod & leuamen prospiciamus, vt a maiori, quam dabit facile rei gnarus quisque, theologiae naturalis recentioris excellentia, eiusque nihilo secius magna fat veritatum inopia, ad minus cultae adhuc maiorem multo insufficientiam concludamus. Vbi quidquid cognitionis, per inductionem faciliorem, religione naturali cultiori, imo maxime cultae denegatum erit, id eidem vniuersae deesse, haud iniuria concludere licebit. Eaque re tantum abest, vt iniuste ac duriter cum religione naturali agatur, vt potius, ne id eum dispendio aliquo reuelatae fiat, verendum sit. Quod enim vel mediocris intelligentia, ipseque rerum vsus docere facile poterat, scili-

Num. 1.
Religio reuelata, vastior naturali in parte theoretica.

2.

3.

4.

scilicet, multa admodum egregio vnice religionis reuelatae beneficio, cognitioni mortalium naturali accessisse, quae non sine fraude aliqua, sua haec iam esse iactat, dum cum suis tantum connectit conclusiones aliunde primum petitas: idem in excellentissima illa sermonum Boyleanorum collectione fusus paululum expositum non sine voluptateprehendimus, quem locum ideo ex Berrimans sermone quem inscribit: the gradual reuelation of the gospel in tomo collect. IV. p. 91. edit. Londin. obuio allegamus hic, dum totum transcribere non licet.

§. XXXI.

Num. 1.
Summa religionis naturalis theoreticae.

Post miserimas igitur barbariae in doctrina de Deo allucinationes coniecturasque ad summum incertiores, quarum collectionem in Cicer. de natura Deorum censumque institutum vide in Cudworthi system. intellect. ed. Mosheim. T. I. C. IV. §. 17-28. assumta simul historia philosophiae omnium gentium cuius autores longa in serie productos exhibet Stollus in der Anleitung zur Historie der Gelahrtheit P. II. C. I. §. XV-XXIX. in quibusque inprimis eminet Bruckerus: veri iam quidquid certique de numine optimo, inter recentiores & philosophiae cultioris, & ipsius, mediate licet, reuelationis auxilio, multis in rebus maotos, assequi rationi licuit, redire ad sequentia potissimum, exemplis omnium docemur. Cognita primum existentia naturae excellentissimae, vel a priori duce notione enti perfectissimi possibili, vel a posteriori ab effectibus rerumque contingentia ad auctorem ascendendo perfectissimum; perfectiones ipsi in esse demonstrantur quotquot coire possunt omnes & maximae, indeque ad similitudinem perfectionum quas rebus creatis spiritibusque inprimis, tenues licet admodum, inesse scimus, addita semper immensa iisdem praestantia, Deo huic tribuitur vis maxima, intellectus purissimus maximus, cum voluntate illum aequante, liberrima, castissima, sanctissima, decretis foecunda optimis, sapientissimis, virtutesque complectens quae cogitari possunt omnes. Vnde postea eiusdem numinis optimi ad res contingentes relati cognoscuntur tum perfectiones quae audiunt respectiuae, tum opera, creatio & conseruatio mundi optimi non obstante permissione mali, cum gubernatione rerum omnium, & prouidentia, pendensque inde summum in res creatas imperium, & in ciuitate Dei maiestas & potestas ferendi leges, item reuelatio hominibus facta naturalis, ad proprioremque

oremque ipsis procurandam facultas maxima, & probabilis propensio, quaeque ex his deriuantur facile reliqua, tabulae huic & quasi religionis naturalis theoreticae lineamentis haud inferenda. Adde huic cognitioni opitulantem historiam humanam, quo pertineret in primis Cosmogoniae historia, si quid tale & quidem veri caderet in annales hominum §. X. & XXVIII. Hisque momentis absolui potissimum quidquid scitur in religione naturali de Deo, vel ex memoria sibi probabit facile, philosophiae theologiaeque non ignarus, vel etiam systematum metaphysices, potiorum, qualiscunq; effecit inspectio. Quo in scientiae genere nec Wolfii, Bilsingeri, Reaschii, Carpovii, Cantzii, Winckleri, Ribouii plurimumque multo, latent adeo merita, vt vel nostri hic anxie indigeant praeconii.

§. XXXII.

Religionis naturalis obiectiue sumtae parti huic theoreticae, e regione iam oppositam eandem lustremus religionis reuelatae partem, vt, quanam sit vastior, oculi quasi queat esse iudicium. Quo in examine ne rerum indigesta multitudine obrundatur mentis acies, earum potissimas iterum capitibus paucioribus subiciemus: uitatis Deo ibique tam de natura Dei O. M. operationibusque, quam inde pendentibus ad humanum genus relationibus multa deprehendimus, quorum cognitione destituitur ratio sibi relicta, dum contra nil est a ratione hic cognitum, quod ignoret religio reuelata. Primum, de natura numinis, quod nescit religio naturalis, praeter nomina plura Dei naturam designantia, quale Iehouae in primis, Adonai &c. ad mysterium trinitatis redit, seu veritatem, de essentia diuina tribus personis communi: quale dogma, per definitionem mysterii quae ipsi competit, est supra rationem sibi relictam etiam quoad obiecti sui existentiam, hincque religioni etiam naturali incognitum §. XI. non minus ac illa, quae ab illo pendent. Et huc iterum referas deriuandam a reuelatione mysterii cognitionem primae diuinae personae Patris Dei, etiam quoad nomen hoc, ab ordine internaque ad reliquas personas relatione, proficiscens, eiusdemque positum characteris hypostatici, quem actus interni, generationis aeternae filii, spirationisque Spiritus S. actiuae efficiunt, tam subsistendi modi *τῆς οὐσίας ὑπαρχῆως* qui proprietates, notasque personales complectitur, tum operum denique characteristicorum, quae vel oeconomica esse vel externa, ex theol. dogm. nouimus. Externarumque

Num. 1.
Summa reuelatae theoreticae de Deo, mysterio trinitatis Deo Patre.

2.

3.

D

cum

cum potissimum in f. scriptura ipsi tribuitur creatio vniuersi cum conseruatione; desiderari hic plurima deprehendimus in religione naturali, quae reuelata perhibet. Eoque multa referuntur tam de actione creationis ipsa, quo *ἐξ ἀρχῆς* illius augustissimi, Cosmogoniaeque seu originis rerum omnium, auctore digna pleniorque pertinet historia; quam de obiecto creationis vario, multiplici, inprimisque homine, qui sistitur ad similitudinem numinis ipsius in sanctitate dexteritateque felicissima effectus, reliquisque animantibus praefectus, mox vero felicitate cassus, iram omnipotentis incurrens, quo permissio & origo mali inter homines moralis pertinet aequè ac phycici, hasque miserrimas fortis mortalium vicissitudines, ab aeterno benignissime respiciens Dei patris consilium de instauranda hominum per Christum salute, cum eoque connexum opus eiusdem oeconomicum, quod ablegatione filii, ab aeterno huic negotio destinati, & missione Spiritus S. ad homines absoluitur. Quo referri porro debet, totius salutis ordinis sapientissima institutio, amoris immensusquam aliunde tam clare cognoscendi, iustitiaeque simul documentum; animusque Dei O. M. in homines pro diuersa eorum ad hunc ordinem relatione, diuersus, in pios scilicet ipsique Christo mediatore fideque in illum conciliatos, paternus, cum cura eorundem & tutela specialissima, non per vitam solum eorum, sed per mortis ipsius dirum articulum ad aeternitatem vsque gaudio affluentem, felicitateque ineffabili: in auersos contra, ad extremumque vitae halitum a Christo salutis fonte alienos animus insensus, iraeque aeternum terribiles, nec morte scilicet miserorum terminandae, sed & sepulcro euocatis vitaeque redditis, sine spe melioris vnquam fortunae, graues futurae. Quae omnia hic cumalata, quaeque pendere ab his videbit facile sacrarum doctrinarum gnarus, vti tanquam lemmata hic nobis ex theologia dogmatica hauriuntur; sic tam explanationem eorundem vberiore, quam ex f. literis probationem, si quis desiderauerit, ad systemata istum relegamus. Cosmogoniae historiam reuelatam, quam Moses in Geneleos libro tradit, & re & eloquio olim, critico etiam profano, admirabilem visam, in Longini vid. *negl v. 185* libro C. VII. Illamque quicumque non dicam cum poetarum profanorum fabulis, sed sapientissimorum quorumuis philosophorum commentis de rerum originibus, contenderit, spissam is denique noctem deprehendet, qua naturalis hic tegitur cognitio.

Vid.

Vid. Mosheimii Dissert. de creatione ex nihilo, Cudworthi system. intellect. ab ipso edit. insertam pag. 957. a. §. VII. & conf. Reinbeck. medit. in Aug. conf. T. I. medit. XIV-XVIII. De Trinitatis autem mysterio tam Perfarum philosophis, quam Platoni vel prorsus non, vel per traditionis tantum exspirantis, confusus indicium cognito conf. ipsum Cudworth. p. 333. & 701. & Rapinum dans la Comparai- son de Platon & d' Aristote p. 356. 357. Edit. Amst. 1709.

§. XXXIII.

Ad cognitionem de Deo quam reuelata tradit religio & naturalis nescit, tota porro referenda erit ex theologia dogmat. Christologia, seu de secunda in diuinitate persona; *Seevsgewiss* tractatio vastissima; ardua si quae vnquam, & ad salutem humani generis, summi fere omnium momenti. Quo pertinet, praeter nomina huius personae varia in S. S., si ad summam omnia redigantur, & generatio eius aeterna passiva, & spiratio actiua spiritus sancti, consensus in decretum aeternum de redemptione hominum, missio spiritus sancti ad eosdem, decreti aeterni executio, per v. testam. tempora, ad noui vsque foederis aeuum, miraculosa tunc consequuta diuinae cum humana natura copulatio & vnio, ad suppositum vnum intelligens; pendens inde tum personae huius augustissimae consideratio, quoad naturam vtramque vere ipsi competentem, diuinam pariter ac humanam, nascentemque ex illarum communione, communicacionem quam dicunt idiomatum; tum officii eiusdem Christi mediatorii demonstratio non minus per applicationem characterum Messiae ab vltimis diuinae reuelationis temporibus hominum generi significatorum & internorum & externorum, quam per experientiam cuiusvis mortalium, si libuerit, obuiam; huiusque officii denuo tripartitum munus propheticum, sacerdotale & regium; tum denique status eiusdem duplicis, ad obeunda haec officia necessarii expositio. Vbi exinanitionis prior, per quinque gradus a natiuitate humiliter vitam misere, non tamen sine indicis diuinae virtutis miraculis & beneficiis in humanum genus, exactam, ad sepulcrum vsque famamque post mortem adhuc criminum iniuriis maculatam descendit; huncque consequutus postea exaltationis status a descensu ad inferos per quinque pariter gradus exurgit, quo tam in vitam reditus, ac licito sepulcro mortaliumque denique visu, ad coelum directum inter, maiestatisque plenum *Seevsgewiss* ad dextram patris confi-

Num. 1.
De Deo filio

confidentis, gloriae diuinae & imperii consortium; quam omne idemum pertinebit, quod ad manifestationem gloriae interminatae sospiratoris, rerum omnium, imprimisque ecclesiae suae curam gerentis, & saeculorum cursus & eorundemque imminens tandem consummatio conferet, cum solenni imperii eiusdem & extremi hominum iudicii, post euocationem eorundem ex sepulcris, & promulgatione & executione, quam piorum plena tandem & aeterna felicitas, impiorum contra a Deo Christoque ad cruciatus poenasque aeternas secessio excipiet. Lineas haec primas Christologiae, explebunt additisque probationibus firmabunt, tam systemata quaeuis theologica in articulo de trinitate non minus ac de Christo, quam qui id sibi potissimum imposuere negotii scriptores, vt Messiae tum vitam ex sacris historicis colligiant, tum Iesu Nazareno munus id Messiae certe fuisse demonstrant. Conf. Praef. summe reuer. histor. ecclesiast. quae publici iuris esse iam coepit a §. XVI XLVI. & immortalis meriti opus Kidderi cui titulus: Demonstration of the Messias, cuius breuiorem formulam exhibet collectio sermon. Boyleanor. edit. Lond. t. I. p. 69. & tandem Reinbeck, meditat. in Aug. conf. t. III. medit. 39. Inprimisque religioni naturali id vicio datum, quod mediatorem ignoret sibi relicta vide in Knuzenii Philos. Beweis der Wahrheit der Christl. Relig. §. 24. 35.

§. XXXIII.

Et de spiritu
sancto.

Ad cognitionem de DEO quam supra rationem positam, ad mysteriumque pertinentem ab eoue pendentem §. XXXII. 2. religionis reuelatae pars tradit theoretica, doctrinam tandem de tertia quoque in diuinate persona, spiritu s. referimus. Cuius hunc in censum veniunt, vt ad praegressorum §§. exemplum, etiam hic rem contraham, tam nomina, & existentia & subsistendi modus, cum caractere hypostatico, qui in processione ab vtraque supra memorata in Deo persona, consistit: quam opera, tum oeconomica, quo humanae Christi naturae informatio & vnctio, eiusdemque spiritus s. missio in homines pertinet; tum externa quae ad inspirationem veritatum reuelatarum, ad applicationem salutis per Christum partae hominibus procurandam redeunt. Ex quibus post personae spiritus s. considerationem, officii eius quadruplici resultat cognitio epanorthoticollenchitici, didascalici, paedeutici, & tandem paracletici per theol. dogm.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quibus omnibus tam hoc §. quam §. XXXIII. & XXXII. de Deo reuelationis beneficio exhibitis, quia plura eiusdem infunt praedicata quibus ad humanum genus optimum numen refertur, quaeque hinc sine correlatorum quod dicunt, alterius, hominis nempe cognitione explicari in doctrina de Deo nequeunt; sequitur vt etiam de homine, multa contineat religionis reuelatae pars theoretica, in relatione ad summum numen constituto, & quidem, quatenus rationum relationum cognitio, a mysterii cognitione pendet, multa rationi sibi relictae, hinc & religioni naturali incognita §. XXXIII. 2. vbi non minus multa locum etiam inuenient, quae licet a mysteriorum cognitione proprie non pendeant, nihilominus tamen naturalem hominum perspicaciam aut prorsus fugisse, aut saltem clare parum, certeque, & plene minus ipsis innotuisse res ipsa docet. Facilius haec in conspectum, vt credo venient, si quadruplicis in quo considerari homo potest, status ratione habita, relationes eius ad Deum in quouis horum statuum, spectentur. Contendas hic igitur, quae ratio sibi relicta, vel prorsus ignorat, vel coniecturas secuta harricatur, nec nisi quoad partem minimam perspicit, cum iis, quae reuelatio perspicue maxime & copiosissime tradit, tum de originis statu ac innocentiae, creationem qui excepit, de imagine Dei etiam conf. §. XXXII. 3.; tum de peccati statu a lapsu proficiscentis primorum humani generis parentum infelicissimo, indeque consecutis miseris naturalibus aequae, ac per imputationem peccati iustissimam in posteris deriuatis, quo de peccati varii generis pertinet doctrina ampla satis ac demorte spiritali, cui plene adeo cognoscendae, nunquam sufficit natura hominum, ob id ipsum quod corrupta est: tum de gratiae etiam ac salutis inchoande statu, vbi tam ordinis, quam mediorum verbi & sacramentorum, & mutationum non minus ipsarum, spiritu s. auctore in animis hominum instaurandarum & perficiendarum, vocationis, illuminationis etiam vnionisque inde pendentes cum optimo numine, eiusque consectoriarum, ignorantia grauissima premitur natura sibi relicta §. XXXIII. n. 1.: tum denique de consumationis statu, vbi, si etiam de immortalitate animi certa est ratio, reliqua sane, quae continentur statu post mortem, confirmationem virtutis piorum felicitatisque omnis oppositi periculo extantam, resurrectionem iudiciumque extremum, & quae de coelestibus

Num. 1.
Plenior religionis reuelatae anthropologia.

2.

4.

piorum deliciis a relatione eorum ad Christum theanthropum derivata, reuelatio tradit, natura aut prorsus nescit, aut a reuelationis beneficio mediato perspicacior rediens, iam tandem quodammodo hariolatur, ingrata quam maxime in reuelationem, si totum id sibi tribuere non erubescit §. XXX. 4. Addam, quod rationis sibi relictae vel ad nefas vsque defensor, dabit facile, tum immortalitatis imagini quam ratio sibi relicta concipit, gratiam fere omnem dignitatemque decedere, si cum ea contenditur, quam reuelatio offert expressam maxime, lucidissimamque, nec spe quadam audaciori, sed fidenti certaque animi quasi conscientia amplectendam: tum morti sine reuelationis lumine conspectae umbras terroresque affundi tristissimos, si cum morte comparatur, qualis in reuelatione apparet, sine peccati malique omnis respectibusque piorum morientium innumeris dulcissimisque condita quasi ac delinita; quibus ad deum referuntur, amicum fidei iam exploratae, patrem, naturae humanae participem, & intime cum ipsis, etiam in vltimo vitae halitu vnitum. Fufus haec persequi, quibus anthropologia reuelata theoretica, praestat naturali, quorumque vel singula facile libelli darent materiam, instituti haud est. Ad vltima potissimum §. momenta, conf. & Reinbeck. medit. in Aug. confess. T. III. med. XXXXI. §. 9. & Turretini traite de la verite de la religion Chretienne sect. III. cap. XI. edit. Genev. 1736. & Pascalis denique de morte cogitationes vere sublimes. p. 199. des Penſees de M. Pascal. edit. Amst. 1699.

§. XXXVI.

Num. 1. Sicuti adhuc exposita, pertinent, ad probandam vastitatem Vastior religio reuelata in parte practica, vbi continet, cognitionis, qua superat religio reuelata naturalem, in parte theoretica; ita eandem praestantiam vindicare etiam parti eiusdem practicae nostrum iam erit ex instituto quod declarauit §. XXX. Et hic res tam ad officia ipsa, quam ad motiua redibit, quo plura enim haec & maiora dat religio hoc est praestantior §. VIII. 3. §. IX. 2. Eaque in re haud parum adiuuabimur ab ipsa illa partis theoreticae, stabilita haecenus praestantia, cuius rationis mentionem hic prius iniiciam, quam ad exempla inductionemque descendatur. Pendere practicae religionis partem a theoretica eiusdem nouimus, oriri nempe illam a cognitione de natura excellentissima, nostrisque ad illam relationibus §. V. 1. 3. Fieri quapropter haud posse patet, quin plura longe erga Deum officia, specialiusque concepta profici-

ciscantur a parte religionis reuelatae theoretica, quam ab eadem parte religionis naturalis: dum scilicet reuelata innumeris abundat de Deo veritatibus, nostrasque plurimas longe erga illum tradit relationes ex quarum singulis obligationes in Deum resultant §. V. n. 1. 3. quae omnia naturalis nescit; & contra ipsa reuelata nil veritatum de Deo nostrisque erga illum relationibus nescit; quas nosse datum est naturali, quod tum ex inductione her partem religionis vtriusque, supra exhibita a §. XXXII. XXXV. confici potest, tum ex scholis constare theologorum. Ex singulis igitur defectibus theoriae, quibus laborare religionem naturalem probatum est, totidem quibus facile colliger defectus in parte eiusdem practica. Quamquam enim ex generali de Deo eiusque natura praestantissima cognitione, quam ratio sibi relicta consequitur, generalius concepta ista proficiantur officia cultus amorisque & obedientiae &c. ad specialiora tamen multa, in quae haec generaliora resoluit reuelatio, descendere nequit ratio sibi relicta,

§. XXXVII.

Vbi, vt via tantum negotio sternatur, quod integrum maximam partem, lectori relinquere instituti & temporis cogit ratio, inductio facile docebit, si lustres quae natura docemur erga Deum officia ignorari illa profus, quatenus debere nos illa docet reuelatio patri Deo, aeternum salutem nostram per Christum decernenti, ad imaginem diuinam genus humanum efformanti in felicitate omnigena, lapsum tenerrima cura quantum poterat impediendi, eisdem facto, patrio amore per missionem filii & Spiritus S. medentis, & quae hinc fluunt innumerae ad cultum ipsi offerendum quem possumus maximum, causae impulsivae §. XXXII: adde filio Dei quibus obstringimur, officia ob respectus, quibus ad illum refertur humanum genus, innumeros, tanquam hospitatorem sanguine & morte Deo nos conciliantem, prophetam, sacerdotem & regem denique, quaeque hinc deriuari facile ipse quibus sentiet immensa ac innumera, amoris ardentissimi in optimum numen irritamenta §. XXXIII. adde spiritus s. denique in mortale genus beneficia, reuelantis, salutem per Christum partem applicantis, vocantis, illuminantis, regenerantis &c. innumeraque hinc nostra cognoscenda, si pergat hac via meditatio, in Deum officia, & erga media pariter salutis, quae stabilita ab ipso nouimus, verbum & sacramenta, & cum iis

Num. 1.
Plura officia
in Deum, se-
met ipsum,
alios.

conne-

2. connexa, & erga operationes ipsius in animo etiam; ubi tota tunc in Deum pietas, cum virtutibus quas complectitur, amoris in illum, fidei, imitationi que exempli perfectissimi, plenior longe faciem nouamque induet. Vnde resulent postea in nosmet ipsos quoque noua, vel clarius saltem cognita officia necesse est, pendentia scilicet a status nostri diuersi ad Deumque relati cognitione, per reuelationem tantum clare satis obtinenda §. XXXV. quo pertinebit & iusti de semetipso iudicii existimationisque officium, in diuersis statibus corruptelae & gratiae, non clare aequae & specialius satis per solam rationem cognoscendum, & curandi porro animi corporisque officia indeque pendentes virtutes, quas generalius si tradit ethica naturalis, reuelatae vestigia premens, non certe specialius determinateque satis concipit, quia status hominum corrupti parum est gnara, & gratiae statum prorsus ignorat, a quorum cognitione tamen plurimum in cognoscendis hisce officiis pendet. Adde officia, ad quae per cognitionem de Deo homines ducit ethica reuelata, tam in alios homines, quo & philanthropiae inprimis quoad gradus speciesque diuersas e. gr. in Christianos homines, vereque pios etiam, & echrrophiliae pertinet, officium veraeque animi magnitudinis, quam si iam non ignorat prorsus ratio, reuelationis secuta indicium, angustior certe concipit; & sociales virtutes, ex societate inprimis resulantes sacra s. ecclesiastica; quam in alia denique quae non sunt homines, ubi in angelos specialius reuelatio tradit officia a nexu eorum cum hominibus benignissimo rationi incognito pendentia, nec minus ad Cacodaemones seu diabolos relatorum hominum officia, a nexu infelicissimo eorum cum mortalibus pendentia, rationi pariter ignoto. Adde omnibus officiis virtutibusque praefixum finem vltimum, vnionem hominum cum Deo, intimam mysticam operationibus numinis supernaturalibus nitentem, quem ratio sibi relicta prorsus ignorat, licet non ignoret coniunctionem latius sumtam, inter Deum & homines, ipsis cum omnibus rebus creatis, spiritibusque inprimis communem. Confer ad postremum potissimum momentum, praesidis S. R. ethicam christianam. P. III. C. V. Ad doctrinam de echrrophilia, collectionem sermonum boyleanorum, volumine II. p. 53. Dumque naturalis religio, in parte practica magis adhuc quam in theoretica, ad reuelatam imitatione quadam ac fere aemulatione accedit, ob insignem praeceptorum reuelatorum,

faci-

facilemque cum ratione sana consensionem, connexionemque cum supremo isto cognoscendi obligationes principio, quo ad perficiendos nosmetipsos ducimur; aequo rerum iudici hoc maiori cautione opus erit ad designandos vtriusque ethicae limites, & suum cuique tribuendum. Qua in re non certe nullius esse poterit momenti, ethices profanae historia, sistens illam plenioris sensum sensumque, post christianae doctrinae promulgationem, quam fuerat, in temporibus longius illam praegressis, quod Senecae, Epictetique & M. Aurelii exemplis probari potest, si cum Socratis ipsius aliorumque eius aevi philosophorum de moribus doctrina contendatur.

§. XXXVIII.

Quibus hactenus expositis, officia adde, ad cultum Dei externum, seu actiones corporis quoque in honorem Dei suscipiendas, ubi multa quae generalius tantum, aut prorsus non concipit ratio sibi relicta, ad specialius deducit, praescribitque reuelatio. Quo preces pertinent externae ad exemplar absolutissimum, quod ipse seruator humani generis dedit, & priuatae cuiusuis & communes publicaeque societatis christianae. Nec minus mediator gratiae vsus eo referri poterit, verbi diuini audiendi & proponendi, sacramentorum & disciplinae ecclesiasticae, sabbatique obseruatio &c. Quorum omnium similia quaedam, licet inter barbaras etiam gentes natura duce obtinuisse constet, non sine traditionis tamen, ad ipsas, a Iudaeorum reuelata doctrina perlatae suspicione, quod sacrificiorum imprimis consuetudo, inuere videtur; licetque iam philosopho christiano aliqua eius generis de cultu externo, praecipere facile sit; in generalibus tamen admodum subsistere hic rationem sibi relictam, aperta res ipsa loquitur.

Num. 1.
etiam ad cultum Dei externum:

2.

§. XXXVIII.

Quemadmodum religionis reuelatae pars practica, naturaliter superat, officiorum numero quae tradit. §. XXXVI-XXXVIII. ita & moriuorum, quae addit officiis, & multitudine & grauitate illam excedit. Quod constabit; si euictum fuerit, tum reuelatae nulla nec grauisima moriua deesse, quae cognita habet naturalis; tum ipsi multa & grauisima esse quae naturali desunt. Posterius momentum inductionis sit negotium. Prius sic poterit confici. Religio nostra reuelata, nil desiderat cognitionis, de Deo nostrisque erga illum relationibus, quod religio naturalis habet. §. XXXVI. n. 2.

Num. 1.
& plura denique motiua.

E

nil

nil ergo etiam desiderat cognitionis, de Deo nostrisque erga illum relationibus, quod religio naturalis habet & quod queat dare motiua ad cultum Dei. At contra multas & grauisimas causas impulsiuas ad cultum Dei erga eumque officia habet religio reuelata, quae naturalis non habet. Quo in numero recensenda veniunt omnia illa, quae nescire religionem naturalem & reuelatam tradere de Deo nostrisque erga illam relationibus exposuit inductio per partem religionis utriusque theoreticam a §. XXXII-XXXVI. Eoque potissimum, vt ex innumeris pauca tantum decerpam, referas: cognitionem de redemptionis opere, salutisque hominis ordine, amoreque iustitia & sapientia numinis, aliunde nusquam clare aequè cognoscenda, nec minus de statu post mortem, extremo iudicio; & voluntatem denique summi legislatoris legibus expressam etiam positiuus seu ex arbitrio Dei proxime pendentibus, additis minis promissionibusque. Quae omnia, quo magis cum salute nostra sunt connexa quoque certius clariusque in religione reuelata explicantur, hoc maiora dant motiua ad omes in vniuersum Christianorum actiones pertinentia. Deumque porro, quae de parte religionis reuelatae practica, commemorata sunt, a §. XXXVI-XXXVIII. vim eius intendunt mouentem §. XXVI. n. 1. 2. maiorem hanc etiam vim religionis reuelatae esse concipies, quam religionis naturalis, si nec supernaturalis quidem vis rationem habeas. Conf. Reinbeck. medit. in Aug. conf. tom. III. medit. XXXXI. §. X. & Turretin. de la verite de la religion chretienne sect. III. artic. II. cap. 1. & reu. Praef. in prolegomenis ad ethicam theologicam §. VI.

§. XXXX.

Vastitas religionis reuelatae maior, probata per dicta scripturae.

Absoluimus pro virium mediocritate, quae exponere mens e- rat de primo momento, quo reuelata religio praestat naturali, de vastitate scilicet longe maiori, & quidem via inductionis probationem eiusdem ingressi. Cui iam reliquum est, vt addatur probandi eandem altera ratio, quae ad effata sacrae scripturae redibit, quibus vastitas cognitionis reuelatae maior efficitur quam religionis naturalis. §. XXVIII. n. 4. Eoque referri poterunt tam illa omnia dicta, quibus mysteria praedicantur de religione reuelata 1 Cor. XV, 51. Ephes. V, 32. Rom. XVI, 25. Ephes. I, 9. Coloss. I, 26. 1 Cor. III, 1. 1 Cor. II, 7. 14. 9.: quam quibus cognitionis naturalis sibi relictae culpatur imbecillitas, vbi omnes animorum humanorum defectus

fectus in cognoscendis rebus diuinis, ad religionem eorum naturalem recidunt §. X. n. 1. Quo pertinet 2 Petr. II, 19. vbi cor hominum cum loco caliginoso comparatur Genes. VI. 5. vbi omnem perceptionum humanarum seriem & productionem corruptelae arguit spiritus s. 1 Cor. II, 14. vbi non superare solum multa, de Deo hominumque ad illum relatione dicuntur facultates cognoscendi naturales; sed ipsis absurda videri, quaeque huius generis oracula diuina plurima possent colligi si ad specialiora descendere liceret.

§. XXXXI.

Sicuti in eo praestare religionem nostram reuelatam naturali, probauimus, quod est vastior multo, in iis, quae tradit de Deo hominumque erga illum relationibus §. XXX-XXXX.; ita a priori colligere licebat fore illam quoque certitudinis relatiuae maioris imo maximae, seu plurium imo omnium hominum captui accommodatam §. XXV. Idque vere christianae nostrae reuelatae religioni competere effici poterit tam in mentem reuocatis, quae de certitudine religionis naturalis relatiua tradidit §. XVI. scilicet quia per scientiam illa demum certa euadit, certitudinem hanc eiusdem non obtinere nisi ad paucissimos mortalium relatum: quam consideratis iis, quae examine instituto in religione reuelata obiectiue sumpta deprehenduntur huc pertinentia. Eoque in numero, primum recensendum venit connubium, quod admittit religio reuelata, scientiae fideique certitudinis summae. Dum enim, tam religionem naturalem, reuelata in se continet, quam plura alia, quae si cognita per reuelationem fuerint, cum principiis certis naturae cognitis, tunc facile copulantur. §. XXX. n. 4. XXXVI. n. 2.; dumque porro, principio illa gaudet cognoscendi certo & fallare nescio, sacri. bibelis, ex quibus sua distincte concepta legitime deducere potest §. XXVIII. n. 1. patere hinc credimus tam scientiam in religione reuelata locum habere, quam fidem, & illam quidem maximae certitudinis, dum a testimonio pendet diuino §. XXV. n. 3. Quorum prius & theologiae probat inter homines existentia, quae in scientia scilicet consistit. Adde secundo loco accedentem scientiae fideique experientiam, tam alienam quam propriam, seu per sensationes internas obtinendam, de veritate eorum quae tradit religio reuelata, cognitionem, pendentem a vi veritatum reuelatarum supernaturali, docente & mouente, quam cum religione reuelata copularum iri, probabili

Num. 1.
Religionis
nostrae reue-
latae certitu-
do relatiua s.
facilitas ma-
ior, cuiusda.

ratione adstruximus §. XXVI. quamque revera ipsi inesse mox demonstrabimus. Vnde ut colligam momenta, elucet, religionem reuelatam nostram, etiam certitudine relatiua maiori gaudere, quam religio admittit naturalis. Admittit enim reuelata scientiam, sique istud cognitionis genus parum omnibus mortalibus conuenit, admittit fidem eadem, & quidem certitudinis maximae; additque tandem experientiae viam, mortalibus in vniuersum omnibus pro nam maxime & expeditam. Si igitur vel vulgaris seu confusior tantum in indiuiduo aliquo fuerit cognitio haec religio, poterit esse nihilo secius certa, per experientiam scilicet & fidem. Vnde fluit demum, illam admittere quoque, si vocabulis exprimatur, genus dicendi quod sensitiuum audit, ad persuasionem, animorumque vel maximae rudium commotionem aptissimum, quo dicendi genere & vi sacram scripturam constat. Quorum omnium contraria longae est ratio in religione naturali, cuius scilicet ad certitudinem requiritur ut sit scientia, hinc distincte concepta & longissimis interdum ratiociniorum seriebus demonstrata. Adde tandem huic §. ipsius sacrae scripturae oracula, quibus certitudo adeo magna, etiam externa, seu facilitas religioni reuelatae vindicatur. Quo pertinet, & 1 Petr. II, 2. vbi lactis sub imagine reuelatarum doctrinarum lenis inuitur facilitas & 1 Petr. I, 19. Ps. CXVIII, 105. vbi lucis ad instar illustrare dicitur verbum Domini corda & vias hominum; & Jerem. XXXV, 8. vbi cum via comparatur, qua nec stulti errabunt, & Ps. CXVIII, 130. Ps. XVIII, 8. vbi simplici illud dare dicitur sapientiam, §. XXXVII.

Num. 1. Vis religionis nostrae reuelatae supernaturalis cuius. Restat vltimum momentum, quo praestare reuelatam nostram religionem, naturali probandum erit: idque ad vim redibit inditam veritatibus reuelatis supernaturalem maximam, quam naturali religioni deesse, §. XIII. reuelatae contra affore §. XXVI. probauimus; iamque vere nostrae inesse efficitur, prouocantes, tam ad experientiam, & propriam, cuius si libuerit vere, obuiam, & alienam piorum, omnium temporum, cui rei imprimis rerum in ecclesia, ab ortu eius, gestarum, exemplorumque, quae sacra scriptura exhibet. memoria subuenit; quam ad testimonia denique ipsius codicis sacri. Et huc pertinebunt tum 1 Ioh. V, 6. Rom. I, 16. Ephes. I, 18. 19. 20. Jerem. XXIII, 22. 29. Ebr. III, 12. Ioh. VI, 63. tum Act. II, 41. VIII, 35-37. Silentio praetereo, quae eandem vim religionis nostrae

Ærae reuelatae supernaturalem alio veritatum in nexu probant argumenta, tam a sufficientia eius ad finem, quam ab origine eiusdem diuina desumpta. Addeam tantum, quod si scriptura pariter docet, exferi hanc vim docentem aequè ac mouentem, tam in illuminatione, quam in regeneratione & sanctificatione, productis sic scilicet perceptionibus nouis inclinationibusque, earumque habitibus cum pendente inde statu piorum integro iterum ac felici. 2 Petr. 1, 19. Act. XXVI, 18. Ioh. XVII, 20. Iac. 1, 18.

§. XXXXIII.

Iam igitur ad finem laboris, a quo proxime absumus, propere-
rantes, euicisse, quam polliciti eramus religionis nostrae reuelatae Num. 1. Eiusdem quae sic euicta prae naturali, omnique prae naturali praestantiam nobis videmur, si euicta est eius maior prae naturali, omnique longe in cognitione vastitas, quod susceptum fuit a §. XXX-XXXX. §. quae cogitari potest religio-
ne praestantia eiusdem facilius longe certitudo, quam probare tentauimus §. XXXXI. eiusdemque tandem vis longe maior, quam vindicare ipsi 2. studuit §. XXXXII. Dumque singula haec ipsi tributa, totidem simul veritatis ipsius dant indicia §. XXIX. 2. vere autem reuelatam religionem non esse nouimus, nisi praestantissimam omnium §. XXIII. 3. colligere hinc licet sanctissimam nostram religionem reuelatam non naturali solum esse excellentiorem sed omnium in vniuersum quae proficisci ab optimo numine in mortale genus poterant illam esse excellentissimam, coniunctioni hominum cum Deo, quae obtineri in hac vita potest, maximae, maximaeque creatoris inter mortales obtinendae gloriae sufficientem, per cognitionem de Deo quam procurauit hominibus maximam, cultumque inde derivandum optimi numinis optimum maximumque, *πιστον λογον και πασης αποδοχης αξιον!*

§. XXXXIII.

Naturalistarum nomine veniunt, qui reuelatae religionis negant existentiam. Quod si faciunt, ob negatam, simul talis religionis possibilitatem internam refutantur per §. XX. aut ob negatam eiusdem possibilitatem in mundo sapientissime ordinato, errant §. XXII. Num. 1. Naturalistae notio & er-ror. Veritatem si tantum impugnant reuelatae nostrae, pugnant cum theologia dogmat. refutandi quodammodo etiam ex §. XXXXIII. & XXIX. Cuius generis hominibus nec destitui, quae vitium, saecula, vel solius testatur Morgani exemplum, extincti haud ita pridem, verique forsan iam tandem, nec si cupiuerit, amplius ignari.

CLARISSIMO
ARTIVM MAGISTRO

SAL. PLVR. DIC.

P R A E S E S.

TAandem igitur prodis in lucem academicam, amicissime SVCRO! non solum publicum profectum et dexteritatis documentum daturus, verum etiam scholas aperturus atque scientiarum artiumque iter aliis praeiturus. Serius id facies quam et ipse potuisses si voluisses, et alii dudum facturi fuissent doctrina litterisque tuis instructi: eo tamen deliberatius maturius auspicacius atque felicius, quod non opto speroque magis quam confido & prouideo. Quare nec fore vnquam arbitror, vt TE consilii ipsiusque adeo cunctationis poeniteat. Sicut enim in omni vitae laborumque genere antiquum, illud obtinet, vt *sat cito qui sat bene*: ita in primis litterarum tam cultoribus quam multo magis doctoribus nihil accedere potest inconsultius, periculosius atque exitiosius studiorum praecipitatione et immatura cruditate, nihil autem exoptatius cedere continua laborum diurnitate morarumque et molestiarum patientia. Non TVI causa haec scribo, qui neque casu neque aliorum voluntate; sed consilio rectique conscientia id consecutus es vt omnes, qui TE norunt et temporis nostri calamitatis perspectas habent, honorum academicorum, quos iam diu meritis nunc demum capeffis, non celeritatem sed sapientem tarditatem admirentur TIBIque et bonis litteris gratulentur. Mei potius aliorumque rationem habui dum de TE ad TE haec publice danda esse existimaui, vt voluntas in TE mea eo certius et appareret sibi que constaret et aliis approbaretur, rari autem exempli commendatione quam plurimos ad imitationem excitarem TVIque similes efficerem. Verum, vt quod res est fatear, quum haec cogito et mecum reputo, otii inopiam horumque dierum pene dixerim iniquitatem aegre ferro, quibus cum valetudinis infirmitate tum negotiorum non magnitudine multitudine tamen ciuiumque nouorum, qui me conueniunt, frequentia ita distineor, vt vix epistolae scribendae sufficiam. Quam ob rem in angustias redactus prolixissimum animum
amplis.

amplissimamque laudum materiam in breuem summam contra-
ham, carptimque et succincte commemorabo quae et de TEMET-
ipso et de dissertatione TVA vberius prosequeretur nisi tempore
destituerer, imò laudarem si laudatio praestaret plana et simplici
narratione. In TE amaui, ex quo sanguinis veterisque hospitii pa-
terni opportunitate mihi innotuisti, praeter excellentis et praecocis
ingenii dona omniaque et naturae propitiae et educationis sollicitae
beneficia diuinitus cumulata, maturam et prudentem industriam at-
que indefessam laborum tolerantiam. Postquam autem huc in aedes
meas et conuiuium concessisti atque quinque integros annos ea viri-
um contentione laborumque assiduitate in scientiarum et bonarum
artium studiis consumpsisti, quae a paucis per dimidium tempus
continuatur, neque vnquam ab aequabili bonae mentis, virtutis et
doctrinae studio discessisti, sed spem meam semper sustinuisti ne-
que raro mirifice auxisti: dici non potest quantus ad amorem, vo-
luptatem, existimationem et gratiam cumulus accesserit, quantique
faciam ingenium TVVM, animum, doctrinam et inusitatum aequae
ac felicem seuerioris scientiae cum elegantioribus litteris artibus-
que mansuetioribus coniunctionem, et quam praeclare de TE sen-
tiam ac sperem. Argumentum disputationis nemo improbabit
temporum, quae viuimus, non ignarus, atque in rem christianam
non male animatus. In quo tractando ita elaborasti vt exspecta-
tionem, quam ex breui admodum tempore illi operae infumto
praeceperam, superaueris. Quare integram et prorsus intactam
reliqui dissertationem, quam mihi tradidisti, neque maiores in so-
lemni conspectu partes tuebor quam spectatoris et testis. Bona ver-
ba in opportunius tempus reseruo, quum abrumpenda nunc non
finienda sit epistola, ne operas iam satis a me tardatas diutius mo-
rer. Vale igitur, diuinis auspiciis rem TVAM litterarumque age-
recessissime, atque de bonis ingeniis, et academia nostra bene me-
re. Dedi Halae ad Salam in academ. Frideric. d. XVI.

Mai. clo 1666 xxxiii.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is significantly faded and obscured by water damage.



Th 135

ULB Halle

3


004 917 227



m. c.







18.
18.

DE
PRAESTANTIA
RELIGIONIS REVELATAE
PRAE NATVRALI

PRAESIDE
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,
DOCTISSIMO
SIGISMVND. IACOBO BAVMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.
FAVTORE ET PRAECEPTORE PIE COLENDO
IN ACAD. FRIDERICIANA

D. XVII. MAL. ANNO MDCCCXXXIII.

H. L. Q. • C.

PVBlice DISSERTET

AVCTOR

M. CHRISTOPH. IOSEPH. SVCR0

REGIOMONT. NEOMARCHICVS



HALAE MAGDEB. LITTERIS IOH. CHRIST. GRVNERT.
Recusa 1753. (6)